JOHANNIS ALTHUSII V. CL.

Civilis conversationis LIBRI DUO:

Methodicé digesti & exemplis sacris & profanis passim illustrati.

Editi á

PHILIPPO ALTHUSIO U.J.D.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
MDCI.

12. 33. D 14

12-33-D-34.

GENERIS NOBILITATE, VIRTUTE ET LITERIS ORnatissimo adolescenti, Domino JOSIÆ à *Wolmerchausen*, amico meo honorando, PHILIPPUS ALTHUSIUS U. J. D. *Corbachiensis* salutem.

LIBELLUM hunc, nobiliss. Domine JOSIA, in lucem adspectumque hominum producere & juris publici facere, autor JOANNES ALTHUSIUS patruelis meus dubitavit. Ego sub nomine ipsius edere minimé dubitavi: Discedit in hoc passim à communi & huc usque recepta philosophorum sententia. Litium igitur occasio & materia dati videbatur. Paradoxa quoque

bonis viris ſæpé ſuſpecta & odioſa eſſe, memor eram. Has rationes perpēdi mecum & aliis communicavi. Sed illæ neque aliis, neq; mihi ſatisfacere potuerunt. Quis enim unquam ob has cauſſas philoſophandi libertatem ſibi, niſi homo ſervilis, vecordis, humilis & abiecti ingenii, adimi paſſus eſt? Plané ſi idem ſemper ſentiendum & loquendum veteres Philoſophi eſſe exiſtimaſſent, nunquam profectó tam exculta philoſophia artesque liberales in noſtras manus perveniſſent. Veritatis ſcis, hoc eſſe elogiū, quod temporis ſit filia. Ita enim experientia teſtatur, hác incognitam quaſi in profundo puteo demerſam aliquando delituiſſe; quæ cū tempore tamen poſtea ex tene-

bris

bris emersit & innotuit. Cōcordia philosophicæ tranquillitatis colenda est. Fateor: sed usq; ad aras: modó veritati per temporis præscriptionem non generetur prejudicium: modó libertati philosophicæ nulla vis inferatur, ejusve usus ad paucos restringatur. De qua re pluribus hîc nō dicam. dicerem veró si opus esset. Ut igitur aliis nihil præscribo, sic nec mihi ab alio hac in re præscribi patior. Libertatem philosophicam Socraticam & Rameam amo, Αὐθάδειαν & cacoëthes scribendi & sentiendi odi. Studio veri quærendi & indagandi teneor, idque in aliis probo. Philosophicum & Christianum puto, sententiam & opinionem suam veritatis caussa mutare & aliam amplecti. Si quis

igitur hisce opinionibus contradixerit jure, tãtum abest ut in jus hunc, vel ego, vel patruelis meus autor vocare, eique litem movere velimus, ut potius gratias illi simus acturi. Quare enim non agnosceremus beneficium ejus, qui nos errore liberaret? Quare non agnosceremus veritatem ostensam, eiq; gratularemur? cui frustra & non sine peccato bonorumque offensione essemus contradicturi? Hæc enim tandem, omnibus etiam reclamantibus, vincet & hostes suos sub jugum mittet. Scribat igitur alius contra hasce meditationes; sentiat, judicet, quidquid velit, modó eo animo scribat, ut id quod dixi, beneficium in nos collatũ & veritatem agnoscere & exosculari possi-

possimus. Quæ cum ita sint, & patruelis meus editionem libri hujus meo judicio & arbitrio permisisset, volui eũdem sub tuo nomine prodire. Scio te naturali quadam inclinatione, morũ suavitate & civili conversatione, quã hîc autor præscribit, affici & plurimum delectari : contrá veró insita quadam ἀντιπαθείᾳ inciviles, inconcinnos & insulsos homines, tanquam bovem in cornu fœnum habentem, aversari. Scio in hisce autorem ea persecutum, quæ nostris temporibus sunt adcommodata, & quæ ad honesté & secundum virtutem vivendi rationi sunt apta & idonea, & ζυμβίωσιν hominum concernunt. Qua de caussa hasce subcisivas meditationes, quas patruelis me⁹

in hunc, quem vides ordinem conjecit, tibi gratas fore existimavi. Non dubito quin hascè ipse autor aliquãdo incudi sit redditurus, & limaturus. etsi publicis negotiis districtus, vix satis otii ad res suas curandas habeat, & id ipsum quod conceditur otii, in juridicis studiis, inprimis DICÆOLOGICA sua, quam parturit, ipsum consumere ego mallem. Rationem methodi, qua author usus est, & præceptorum, non reddo. Num convenientia ista & secundum Logicas regulas cõformata sint, ex Logica examinandum relinquo. Materia & res tota, uti vides, est moralis, non domi meæ vel patruelis mei nata; sed ex bonis authoribus, quorum nomi-

na laudata sunt, huc translata. Sic habes editionis hujus & inscriptionis caussas, quas judicio tuo spero satisfacturas. Bené vale & vive in Christo, qui prior nos dilexit. Anno M D C I. Mense Augusto.

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI DE CONversatione communi.

CAPUT I. PAG.

DE generalibus adfectionibus communis conversationis. 1

2, De quibus rebus omnino non loquendum in civili conversatione. 9

3, In quibus rebus sermo silentio temperandus. 26

4, Cum quibus personis & quibus verbis sermo habendus. 58

5, De pronuntiatione ejusque primo requisito. 78

6, De altero pronũtiationis requisito. 103

7, De habitu & gestu naturali hominis loquentis & audientis. 120

8, De habitu & gestu naturali singulorum hominis membrorum. 131

9, De habitu & gestu totius corporis. 159

10, De vestitu & cultu. 170

11. De habitu & gestu adsumpto. 182

LIBRI

LIBRI SECUNDI DE Cõverſatione civili, ſeu Ethica propria,

INDEX CAPITUM.

CAP. I. PAG.

De dignioribus, honoratioribus & vilib. popularibus, vulgaribus perſonis, earumq; adfectione mutua in civili converſatione. 195

2. De cultu, reverentia & obſequio communi, quod honoratioribus & digniorib. ſermone præſtatur. 220

3. De geſtu & habitu reverentiali communi. 238

4. De cauſſa morum reverentialium qui præeminentib. ſplendore & gloria fulgentibus præſtantur. 257

5. De ſumma reverẽtia & veneratione quæ geſtu & ſermone præſtatur. 266

6. De officio communi in ſermone & geſtu digniorum & excellentiorum erga populares & inferiores. 282

7. De officio peculiari in ſermone & habitu, ſplendore & gloria præfulgentium er-

ga inferiores populares. 304
8. *De conversatione parium inter se invicem.* 315
9. *De madiperatoris sermone & gestu in convivii præparatione.* 320
10. *De conviviis & ministris convivii, eorumque moribus convivialibus ante alimentorum sumptionem.* 332
11. *De conversatione & moribus apud sumptionem alimentorum.* 342
12. *De habitu & gestu sumendi alimenti decoro, vel contra.* 354
13. *De clausula convivii ejusque speciebus.* 366

ETHICA

ETHICA

- Communis, cujus membra
  - usus sermonis; ubi verborum
    - Conceptio, perpendens qualitatem
      - Rerum, an sint
        - Cognitae, cōvenientes, nō adversantes
          - Decoro,
          - Honestati.
        - utiles.
      - Personarum, cum quibus sermo habendus, &c.
      - Verborum, quibus scilicet verbis civilibus & gratis utendum.
    - Pronuntiatio, cujus requisita, ut sit
      - tempestiua, quoad
        - auscultantem, nō de
          - ingratis,
          - contrariis,
          - alienis.
        - dicentē in rebus non cōciliātib.
          - odium,
          - suspicionē loquacitatis, tyrannidis, austeritatis.
      - sonus decens; ubi praecepta
        - Generalia.
        - Specialia.
  - Actio, seu gestus & habitus, *vid. num. 1.*
- Propria. *vid. num. 2.*

ga inferiores populares. 304
8. De conversatione parium inter se invicem. 315
9. De modiperatoris sermone & gestu in convivii præparatione. 320
10. De convivis & ministris convivii, eorumque moribus convivialibus ante alimentorum sumptionem. 332
11. De conversatione & moribus apud sumptionem alimentorum. 342
12. De habitu & gestu sumendi alimenti decoro, vel contra. 354
13. De clausula convivii ejusque speciebus. 366

ETHICA

- **ETHICA**
  - Communis, cujus membra
    - usus sermonis; ubi verborum
      - Conceptio, perpendens qualitatem
        - Rerum, an sint
          - Cognitæ, cōveniētes, nō adversantes
            - Decoro.
            - Honesto.
          - utiles.
        - Personarum, cum quibus sermo habendus, &c.
        - Verborum, quibus scilicet verbis civilibus & gratis utendum.
      - Pronuntiatio, cujus requisita, ut sit
        - tempestiva, quoad
          - auscultantem, nō de
            - ingratis,
            - contrariis,
            - alienis.
          - dicentē in rebus non cōciliātib.
            - odium,
            - suspicionē
            - loquacitatis, tyrannidis, austeritatis.
        - sonus decens; ubi præcepta
          - Generalia.
          - Specialia.
    - Actio, seu gestus & habitus, *vid. num. 1.*
  - Propria. *vid. num. 2.*

1 GESTUS seu habitus

- Insitus hominis
  - loquentis,
    - quoad hominem totum vel
    - partes ejusdem.
  - audientis,
  - Silentis in singulis corporis
    - membris,
    - toto corpore, in ejusdē
      - motu,
      - vestitu,
        - congruo,
        - decoro,
        - tempestivo.
- Adsumpt⁹, qui est
  - Consuetudinarius, cujusq; populi in
    - lugendo,
    - lætando,
    - operando, &c.
  - Arbitrarius,
    - Probabilis.
    - Portentosus,

ETHICA

2 ETHICA propria est conversatio

- cōveniens statui cujusq; proprio. estq;
  - Imparium cujus requisitum
    - Primum de
      - Dignioribus vilibusque personis.
      - Earum affectione inter se invicem.
    - Alterū de officio impariū
      - Viliorum in
        - sermone
        - gestu.
      - digniorū
        - generali
        - peculiari.
  - Parium.
- conveniens actui cōviviali: ubi distributio
  - integri in
    - personas
      - Principales
        - convivator
        - conviva.
      - Administras.
    - cōmunicationē mensalem
      - Alimētorū, quam
        - praecedunt
        - sequuntur.
      - Sermonis.
      - utriusq; habitu & gestu.
  - generis in species. est enim conviviū aliud
    - Natalitium,
    - Puerperale,
    - Nuptiale,
    - Inaugurale,
    - Sacrum,
    - Profanum, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

12-33-0-14

JOHANNIS ALTHUSII
J.C. clariſsimi,

CIVILIS CONVERSATIONIS
LIBER PRIMUS,
qui eſt

De converſatione communi.

CAPUT I.
De generalibus adfectionibus communis converſationis.

CONVERSATIO civilis eſt ars moribus decentibus utendi: vel, ars mores ſecundum decorum & rectam rationem conformãdi. *Eodem ſenſu etiam* ETHICA *vocari poteſt, quæ revera nihil aliud, quam ars decorè converſandi cum hominibus.*

Mores boni ſecundùm rectam rationem conformati & decori, ſunt ſermo & habitus corporis naturę & adfectioni negotii quod agitur, & perſonis cõveniens & adcõmodatus,

referês, exprimens & significans decentem, aptam & côcinnam agentis & cõversantis affectionem, aliarum artium præceptis congruentem. Hoc est, ut paucis dicam, mores decori sunt, qui venustatem & concinnitatem, pulchritudinem & decorũ sermonis & actionum nostrarum cum symmetria & gratia in civili conversatione exprimunt. U*nde mores Varroni dicti a memoria, quâ scilicet ex artibus percepta virtutes sermone & actione nostra repetuntur & exprimuntur.*

Quando igitur quæritur an quid rectè, jure & benè fiat, hoc ex aliis artibus discendum. Sin vero quid venustè, decorè cõgruenter concinnè & cum gratia fiat, hoc Ethica præscribit. Fieri enim potest ut rectè quidem quid facias vel loquaris, sed tamen id ipsum nõ ritè neq; decorè pro rei, personæ, loci, temporis aliarumq; circumstãtiarum dignitate, gravitate vel cõtra facias. Jacob. c. 3. 13. *Quis sapiens & scientia præditus inter vos? demonstret ex bona conversatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ, Roman. c. 12. 3. 4. & c. 15.* 2. *Unusquisq; nostrum proximo placeat in bonum, id est, ad ædificationem, & c. 14. 19. &* 1. *Corinth.* 13. 5. *Charitas non agit indecore. &* 1. *Corinth. c.* 11. 4. 5. *& seqq. Apud vos judicate num decorum sit. Nam rectè Clemens Alexandrinus ait lib.* 2. *Pædagogi c.* 5. *Omninò quæcunque hominib. à natura insunt, illa non sunt ex illis tollenda, nec etiam tolli possunt, sed potius modus illis atq; tempus opportunum adhiberi convenit. Non enim quoniam homo est*

mo est animal vi ridendi praditum, ideo perpetuo ridendum est, quandoquidem nec equus, cuius est proprius hinnitus, semper hinnit. Tanquam animalia ratione pradita, oportet nos temperate componere studii nostri acrimoniã & nimium intensam vehementiam moderate remittere, non autem inconcinne dissolvere, d.c.5.

Unde facile contra apparet τὰ ἀπρεποῦντα, & qui mores illiberales, inciviles, indecori & improbi dici debeant, qui nimirum negotii gesti natura in aliis artibus tradita, non conveniunt, atque indicium & prasumptionem tacitam seu imaginem exhibent rerum turpium, inhonestarum & odiosarum, atq; adumbrant & repraesentant res sensibus aliorum externis, nimirum visui, auditui, tactui, gustui, olfactui, vel internis scil. intellectui & voluntati inhonestas, graves, odiosas & contrarias.

Hi mores caeterarum artium liberalium praeceptis contrarii accurate vitari debent, & vocantur turpes, inhonesti, illiberales, inconcinni, foetidi, tadiosi, insuaves, agrestes, rustici, rigidi, insulsi, qui in odium & contemptum τῶν ἀπειροκάλων alios impellunt, iisq; stomachum movent, ut consortium horum male moratorum hominũ fugiant & aversentur tanquam bovem foenum in cornu habentem. Contra vero mores boni & ingenui aliquem ex sensibus delectant, vel saltem neq; sensus neque appetitum vel imaginationem eorum quibus cum vivimus, aliqua afficiunt molestia. Ex quibus honestis & elegantibus morib. homo amabilis, gra-

tiosus, ingenuus, φιλόκαλος, suavis & virtute praeditus esse judicatur & bona indolis. Unde *benevolentiam eorum quibus cum vivit & conversatur facile sibi comparat et praesumptionem internae virtutis moribus externis respondentis, cuius gratia homines adjuti & evecti ad dignitatem & amplissimorum honorum gradus, ut Galataeus ait. Ideo Cicero in epistolis ad Atticum in institutione filii fratris τὸ ἦθος ἐπιμελητέον, seu bonorum morum curam habendam esse censet. Nam intelligentia & prudentia infimos extollit, & deiicit imprudentia summos. Proverb.c.17.2. Ecclesiast.c.7.30. Ecclesiastic.c.20.11.28.*

Mores eiusmodi & decorum exprimitur sermone conversantis, vel actione decoris. *Cicer.* 1. *De orat. Sunt quidam*, ait, *ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in doctorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita natura muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab aliquo Deo ficti esse videantur. Coloss. c.4.v.5. Sapienter vos gerite erga extraneos, opportunitatem redimentes, 6. Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere, 1. Thess. c.4. 22. ab omni specie mali abstinete, Coloss. c.3.17. & quidquid egeritis sermone aut facto, in nomine Domini Jesu facite, Ephes.c.4.29. Nullus sermo putris ex ore vestro egreditor, sed si quis est commodus ad aedificationis usum, ut gratiam auditoribus*

ribus adferat, Ephes. c. 5. 15. Videte igitur quomodo accuratè incedatis, non ut insipientes, sed ut sapientes. Roman. c. 14. 19. Nempe igitur quæ ad pacem faciunt sectemur & quæ ad mutuā ædificationem, 1. Pet c. 2. 12 & conversationem vestram habeatis honestam inter gentes, Eccles. c. 3. 9. Opere & sermone honora patrem, Jacob. c. 2. 12. ita loquimini, ita facite, &c. Roman c. 15. 2. Itaq; unusquisq; nostrum proximo placeat in bonum, id est, ad ejus ædificationem, 1. Timoth. c. 4. 12. Esto exemplar fidelium in sermone & conversatione, &c. 1. Pet. c. 3. 1. Similiter uxores sese subiiciant viris suis, ut etiam si qui nō obediunt sermoni, per uxorum conversationē absq; sermone lucrifiant, 2. ubi spectarint cum reverentia conjunctam castam conversationem vestram, & seqq. Proverb. c. 14. 33. In animo prudentis requiescit sapientia, quod autem est in stolidis, se cognoscendum præbet. Nam hisce duobus instrumentis, sermone nimirum, & actione, res & operas nostras & praxin reliquarum artium cum proximo communicamus & societatem humanam colimus, vel in eam peccamus & affectiones animi in aliis excitamus, arg. Matth. c. 12. 34. & seqq. Psalm. 10. 7. & seqq. & 140. 3. 5. 10. & 118. Jacob. c. 3. Eccles. c. 17. 7. 1. Cor. c. 12. adeo ut J. C^ti, ex hisce, sermone nimirum & actionibus seu gestib. hominum, præsumptiones & indicia tam licitorum quā illicitorum rectè sumant. Vide Menoch. De præsumption.

Mores vero ejusmodi & conversatio judicio & prudentia in civili hominum societate

& commercio eſt regenda, *arg. Proverb. c. 23. 12. ubi Jun. & c. 14. 35. Pſalm. 141. 3. ubi Junius in Notis.* inprimis vero modeſtia, & verecundia & gravitate, quibus externi affectus reguntur, reprimuntur & cohibentur.

Sermo hominis eſt quo decoré animi cogitata & propoſita in converſatione civili proferentes aliis communicamus.

Decorum ſermonis hîc nobis conciliatur ex eo, quod virtutibus congruenter, habita ratione loci, temporis, perſonę, reive loquimur, unde pręſumptio & conjectura animi bene & recte affecti ab audientibus colligitur. Indecorum contra. *Ergo verba ſunt indicia animi & cogitationis honeſta vel inhoneſta. Matth. c. 12. 34. Progenies viperarũ quomodo poſſitis bona loqui, cum ſitis mali? nam ex abundãtia cordis os loquitur, 35. Bonus homo ex bono theſauro cordis profert bona, et malus homo ex malo theſauro profert mala, 35. Sed dico vobis, quodcunq; verbum otioſum locuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die judicii, 36. Ex ſermonibus tuis condemnaberis, Luc. c. 6. 45. Et Græcis dicitur* καρπὸς τῆς διανοίας ὁ λόγος, *fructus mentis ſermo. Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. c. 5. & lib. 3. c. 11. ubi ſermone & geſtu affectiones animi in aliis nos excitare recte dicit. Ideo Seneca De morib. ait, quotiens ſcripturus aliquid vel dicturus es, ſcito morũ tuorum te hominibus chirographum dare. De linguæ & ſermonis commodis, uſu & abuſu præter ea vid. Jacob. c. 3. Proverb. c. 4. 23. imprimis c. 18.*

20.21. Fructu oris cujusq; satiatur venter ejus, proventu labiorum suorum quisq; satiatur, Mors & vita sunt inpotestate linguæ prout amat quisq; uti ea, comedet fructum ejus, & c.16.2.23.c.14.23, c.15. per tot. c. 21.23. Qui observat os suum cõservat ab angustiis animã suam, Eccles. c. 28.16. & seqq. c. 4.29. Ex sermone cognoscitur sapientia & eruditio ex verbis linguæ, & c. 5.15. c. 22.31. Gloria & ignominia est in loquutione, & lingua hominis ruina ipsi est, & c. 20.12.28. Sapiens seipsum reddit amabilem sermonibus, stultorum vero gratiæ effunduntur. Sapiens provecturus est seipsum sermonibus & vir prudens magnatib. placiturus, & c. 21.8. notus è longinquo est qui valet lingua.

Cogitata animi sunt hîc nobis quæcunque aliis artibus singulis, vel omnibus præcipiuntur, vel prohibentur, quæ per sermonem aliis communicamus, aliter tamen quam in Grammatica, vel Rhetorica. *In Grammatica cogitata animi proferimus sermone puro & congruo per Etymologiam & Syntaxin. In Rhetorica sermone ornato & eleganti per tropos & figuras. In Ethica vero decoro & civili sermone atq; concinno. In usu & praxi conjungi & concurrere hæ tres sermonis artes possunt, vel separari. Fieri enim potest ut quis purè quidem loquatur, non tamen eleganter. Similiter ut eleganter quis loquatur, qui tamẽ non decore, & contra, ut quis decore loquatur, non tamen pure vel eleganter & ornaté. Distinguamus igitur ita, ut Grammaticæ sermonis puritatem Rhetoricæ ornatum, & Ethicæ decorum, urbani-*

tatem & civilitatem sermonis tribuamus.

Actio hic nobis est gestus & habitus hominis cum alio conversantis. Hoc est modus, quo illa quæ in aliis artibus traduntur, motu membrorum, corporis & habitu decoro & civili exequimur. seu, quo reliquarum artium praxin decore & venuste exercemus. *Proverb. c. 20. 11. Actionibus suis præbeat se cognoscendum etiam puer, an purum vel rectum sit opus suum, 1. Cor. c. 11. 4. Omnis vir orans aut prophetans operto capite dedecorat caput suum, 5. Omnis vero mulier orans aut prophetans, non operto capite dedecorat caput suum. nam unum ac idem est ac si rasa esset 6. Nam si non operitur mulier, etiam tondeatur. Quod si turpe mulieri tonderi, aut radi vetetur, 14. An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit, 15. contra mulieri comatam esse decori sit? nam coma ei pro velamento data est, Philip. c. 2. 8. Et habitu compertus ut homo, &c. 1. Pet. c. 2. 12. & conversationem vestram habeatis honestam inter gentes, &c, 1. Timoth. c. 4. 12. Esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, &c. Hebr. c. 13. 18.* Ut qui *in omnibus cupiamus honeste conversari, Tit. c. 2. 3. Anus itidem ut sint habitu qui sanctimoniam deceat, 1. Corinth. c. 13. 6. Charitas non agit indecore, 1. Pet. c. 1. 15. sed sicut is qui vos vocavit sanctus est, ipsi quoque sancti in omni cõversatione reddamini, & vers. 17. & c. 3. 1. 2. 16. Nam gestus & habitus corporis etiam sermo dicitur, adeo ut quidam solo gestu spectantibus sine voce omnia significarent*

gnificare possint, ut tanquam communis hominum sermo esse videatur, in tanta per tot gentes linguarum diuersitate. Imo etiam bestiarum actiones & gestus sunt, quibus tanquam signis affectus suos enunciant. ut ait Talaus libr. 2. Rhetor. c. 7. Nam ex gestu cognoscitur vir, ex obvia persona specie cognoscitur qui valet mente. ornatus viri & usus dentium gressusq; hominis enunciant constitutionem ejus, ut loquitur Eccles. c. 19. 26 27. & c. 25. 21. c. 13. 30. 31. c. 9. 18. & seqq. c. 42. 12. 13. c. 13. Proverb. c. 26. 12. c. 17. 24. c. 22 9. c. 16. 28. 29. c. 10. 10. c. 6. 13. qua de re latius suo loco.

CAP. II.

De quibus rebus omnino non loquendum in civili conversatione.

HÆc de generalibus ciuilis conversationis, seu Ethicę adfectionibus. sequitur de speciebus ejusdem.

Species igitur Ethicæ duæ sunt. Est enim quędam communis, quędam propria.

Communis est, quæ mores & modum cum cujusvis conditionis & status hominibus conversandi docet.

Plerasq; virtutes, uti justitiam, pietatem, probitatem, castitatem, patientiam, amicitiam, societatem, verecundiam, veracitatem, humilitatem, charitatem, prudentiam, scientiam, benevolentiam, sapientiam, candorem, temperantiam, sobrietatem, constantiam, liberalitatem, fidelitatem, obedientiam, lenitatem, nemesin, misericor-

diam, & si quæ sunt plures, quas alii ad Ethicam referunt, ego, jubente lege Logica, ad suas quasq; facultates & artes remitto. partim nimirum ad Theologiam, partim ad Jurisprudentiam & partim ad Physicam, & Politicam, partim quoque ad Logicam, in quibus virtutes suas habent sedes & ex quibus earum plena & vera cognitio haurienda, in quibus illæ homogeneæ & essentiales. Nec etiamsi quis harum virtutum cognitionem habet & praxin, ideo statim bonis illis moribus, quos dixi, præditus dici potest, qui tamen est hujus artis finis summus, ad quem præcepta ejusdem collimare necesse est. Modus & via hic præscribenda, qua virtutes in aliis artibus præscriptas, exercere, in actum & publicum producere & aliis communicare possis: nimirum quomodo & quibus verbis, sermone, enũciatione, gestu, habitu actioneve corporis, praxin virtutum ex aliis artibus perceptarum, percipias, habeas, qui solus finis Ethicæ proprius & genuinus, ad quem omnia illius præcepta referri debent. Quam ob causam male, meo judicio, vulgo dicunt Theologiam & Jurisprudentiam Ethicæ rivulos esse; cum contrà, virtutes quæ vulgo Ethicæ propriæ adscribuntur, ex his & reliquis artium regulis & præceptis fuerint desumpta, earumq; consectaria ac πορίσματα sæpe dicantur, quæ plenius, uberius & rectius in suis locis, & propria arte docentur & traduntur, quam seorsim & separatim in Ethica, justitiæ lege repugnante. Siquidem ejusdem est artis docere præcepta & proxime inde nascentia consectaria. Soli igitur huic Ethicæ relin-

relinquitur propria morum honestorum & decentium scientia & usus, quibus virtutes in aliis artibus traditas exprimamus. Nam ex aliis artibus ut bene & recte agamus discimus; ex Ethica vero ut id ipsum quod recte fit, etiam decore, venuste, eleganter, cum gratia & concinne secundum naturã rei, personæ vel causæ agamus. percipimus, quibus scilicet verbis alii exhilarentur, quibus offendantur, quib. opinionem & iudicium virtutis vel vitii nobis apud alios procreemus & quo habitu & actione corporis congrua quælibet peragenda & tractanda. Quam ob caussam recte Lambertus Danæus, *&* Zacharias Ursinus *virtutes, quas vulgo ad Ethicam referũt, ad præcepta Decalogi, adcõmodaverunt. Et ego, nisi res manifesta esset, pluribus demonstrarem, & fontes ex quibus hi rivuli Ethici ex Theologia, Iurisprudentia, Logica, Politica vel Physica, sunt derivati, ostenderem & aperirem. Paucis vero sedes virtutum, quas Ethici μεθοδικώτεροι ad Ethicam referunt, quasi dig to demonstrabo. Iustitiam Ethici omnes adscribunt Ethicæ. At male: quis enim, quæso, exacte scire poterit quid sit justitia, nisi prius quid sit ius cognoverit ejusque species? Ex jure enim, justitia. Species justitiæ distributivam & cõmutativam docere qui poterit, qui cõmercia, maleficia, munera & officia, præmia & pœnas nondum tradidit? Versatur siquidem commutativa justitia in commerciorum permutatione, in conventionibus & contractibus. Distributiva vero in præmiorum et pœnarum distributione. De conventionib. vero, rerum contra-*

ctarum fide & constantia, earumq; speciebus, item de maleficiis eorumq; pœnis & speciebus, de muneribus, honoribus & officiis nulla ars alia, quam Jurisprudētia tractare debet vel potest. quæ si huic arti ademeris, nihil habebit amplius in quo consistere possit. Nimis itaque aperte & violenter Ethici de justitia præcepta tradentes, Jurisprudentiæ opes & patrimonium invadunt & diripiunt, & nimis jejune & imperfecte sine præceptis Jurisprudentiæ justitiæ doctrinam docere conantur. Ab hac justitia non separandæ sunt aliæ ancillantes virtutes, lenitas & Nemesis, in quibus culpa, dolus, temeritas, imprudentia, casus & reliqua circumstantia, uti tempus, locus, persona & eventus, de quibus abunde Jurisprudentia docet, & in qua hæc præcipuũ sibi locum vendicant. Pietatem & probitatẽ, mirum est Theologiæ adimi & Ethicæ annumerari. Utramque enim sola Theologia informat, sicuti & Dei cognitionem, timorem, precationem & gratiarum actionem, quæ fidei effecta. Prudentia virtus, quæ est recte agendorum cognitio, ex ἐμπειρίᾳ vel cognitione artium reliquarum existit, atque sine usu rerumque experientia existere non potest. Consectarium igitur potius cuiusque artis dixerim, quod male ad separatam quãdam & peculiarem artẽ constituendam refertur. Physici etiam proprium est de rationali potentia in anthropologia agere. Sapientiam, qua quid in negotiis honestum sit, inquirimus & exacte perspicimus, nonne duce Logica, comite cognitione cuiusque artis, ad quam negotium, in quo sapientia requiritur

ritur pertinet, adquirimus? Nonne tanquã ἐπιγέννημα & fructus cõmunis ex omniũ artium Theoria existit? Quare igitur peculiare hic artem excogitas, quam alienis plumis exornas, & quam sine adminiculo logicæ & artis cujusque discere vel docere nõ potes? Taciturnitatem & silentiũ Ethicæ relinquo & suis in locis propono, sicuti & virtutem vocalem. Candor, bona fides, veracitas partim Theologicæ in rebus divinis, partim juridicæ in politicis sunt virtutes. Imo leges artium informandarum κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ & καθόλου πρῶτον, partim has virtutes respiciunt, & singula artium præcepta necessario vera, genuina, essentialia, homogenea & reciproca esse præcipiunt. & J. Cti de falsi & mendacii speciebus prolixe disserunt, & de testimonio, de candore, bonaq; fide & dolo malo in ultimis voluntatibus, contractibus, modis adquirendi dominii & maleficiis; ex quibus necesse est sumant Ethici, si perfecte de hac virtute in Ethica docere volunt. Humanitatẽ, quatenus Ethicæ propria, suo loco trado; Temperantiam ejusque species, frugalitatem, mansuetudinem, humilitatem, sobrietatem, pudicitiam, castitatem & verecundiam ad suas quasque artes relego, quæ cupiditates & voluptates hominis honestas explicant. Nam in quacunque arte peccatur in excessu, vel defectu, ibi contra justitiam temperantiamque peccatur. contra, cum medium tenetur, temperantia & justitia colitur. Ad Physicam igitur refero temperãtiam, quæ præcipit de victu, cibo & potu, diæta, laboribus, exercitiisque corporis, secundum crasin

& constitutionem cujusque naturæ & complexionis, ut bona valetudo & naturæ vires conserventur, non opprimantur vel lædantur, quo quis ad vocationis officia obeunda ineptus fiat. Physicæ igitur cives erunt continentia, sobrietas, castitas, frugalitas & pudicitia. Ad jurisprudentiam vero refero illam temperantiam, quæ præcipit de mediocritate & justitia in vocationis officiis & in amictu, ubi & de excessu in luxu & prodigalitate plura J.C^ti^, *imo & politici in sua arte tradunt. Verecundiam & modestiam in Ethica retineo, atq; de iis suo in loco lib. 2. c. 1. & seqq. ago latius. Humilitatem quò nisi ad Theologiam referrem? ad præceptum nimirum primum, ubi de illa* Zachar. Ursinus & Danęus *plurib. agunt cùm cæteris Theologis. Ad Politicam pertinet temperantia & parsimonia in administratione rei familiaris. Politica enim præscribit cuique ordini & statui modum in victu, & amictu, quemque excedit luxuriosus, prodigus; qui in defectu peccat, sordidus dicitur. Sumptuum & impensarũ necessariarum, utilium, vel voluptuariarum modum alium diviti, alium pauperi, alium privatæ, alium publicæ personæ, alium rursus masculo, fœminæ, juveni, nobili egregia, generoso, humili, inferiori, subdito, opifici, literato, idiotæ, &c. præscribit pro ratione personæ, ordinis, officii, status, conditionis, temporis, & loci, de qua re prolixe Politica & nõ nihil Jurisprudẽtia de sumptibus & impensis, præcipit. Quid etiam de diligentia Ethicus præscriberet, quam sibi Jurisprudentia vindicat & docet in muneribus, officiis*

&

& honoribus suscipiendis & gerendis, in administratione negotiorum alienorum, & propriorū, atque ob id negligentiam, cessationem & culpam & otium in delictis ponit & punit. Imo ulterius hac jurisprudentia progreditur, dum quantitatem & qualitatē & gradus diligentiæ in quovis negotio & administratione homini præscribit & determinat, de qua re altum apud Ethicos silentium. Patientia, constantia, fortitudo & magnanimitas sunt communes adfectiones, pertinentes ad munerum injunctorum executionem. Ideoq; Jurisprudentiæ & Politicæ, quibus officia personis secundum justitiam distributivam adsignantur, propriæ. Beneficentia, gratificatio, liberalitas & munificentia pertinēt ad proximi dilectionem, ideoq; Theologiæ propria quadam etiam jurisprudentia, de quibus sub tit. De donat. & tit. De quasi contractib. tit. De commodato, De deposito & mandato, & tit. De pollicitat. qui contractus gratuiti, beneficentiæ, gratificationis, liberalitatisque rationem, viam, modum, subjectum & caussas tradunt, quæ ab Ethicis in explicatione harum virtutum omittūtur. Hospitalitas, quid aliud quam species gratuitæ locationis & beneficentiæ particula, pertinens ad tit. Naut. caup. stab. tit. De locat. & conduct. tit. De exercit. act. Ethicus igitur de hac traditurus, doceat prius de locatione & conductione, & de jure hospitii ex jurisprudentia, ut exacte intelligatur id quod præcipit. Fidelitas pertinet ad fidem constantiamque conuentionum, quam si Ethicus docere vult, necesse etiam habet permittere quid sit

conventio ejusq; species; item quando inutilis, invalida turpisve sit conventio, ut fidem servare non sit necesse; item a quo & quibus modis & quando cōventio impleri debeat & de reb. quæ deducuntur in conventionem. Hoc si faciet, plane contra fidem egerit & finem suæ artis excedet & malæfidei possessor rei alienæ existet, quam sine titulo honesto et legitimo usurpabit, sed nunquam usucapiet. De misericordia Ethico litem intentabit Physica, quæ de illa in anthropologia & animæ potentia agit, sicuti & de affectibus aliis, συμπαθεία, lætitia, spe, amore, tristitia, metu, pudore, odio, ira & omnibus interioribus sensibus. Vide Physicam Freigii libr. 36. Idē de στοργῇ & amore liberorum, parentum & cognatorum judicium. Si Ethici etiā perpenderent causam efficientem amicitiæ, quomodo illa mutuo consensu duorum vel plurium contrahatur, illam jurisprudentiæ sine dubio relinquerent, quæ de illa præcipit sub tit. De adoptionibus & innominatis contractibus, sine quorum cognitione exacte intelligi non potest doctrina de amicitia & fraternitate, seu ἀδελφότητι. De amicitia sociali res est manifestior, eam plene & perfecte in jurisprudentia tradi, ibique fixam sedem & domicilium habere sub tit. de societate & tit. De matrimonio, ubi quid sit, inter quos contrahi possit & in quibus consistat socialis amicitia, plenissime exponitur. De sociali vita & hominum consortio in vita hujus cōmodis & incommodis, sola politica uberrime agit, & ppponit media utilia & necessaria ad cōtinuandam, conservandam & colendam societatem humanam

manam; cui si hac adimis, nihil habitura est illa omnino in quo consistere possit. Mirum etiam est quo jure obedientia ex jurisprudentia & politica agro in Ethicam ab aliis translata fuerit. Observantiam & reverentiam veros & naturales Ethicæ cives agnosco & recipio, de quibus forte latius quam ullus Ethicorum lib. 2. tractavi. De pietate & observantia divina, cave ut in Ethica agas, non prælucente fide & cognitione de Deo, ejusque operibus. Sacrilegium est ex hoc sacrario aliquid rapere, usurpare & sibi adscribere. Profanatio est sacra illa mundanis hisce miscere. Inscitia & confusio connexa & cohærentia divellere & separatim tradere. Gratitudinem ad justitiæ species suũ cuique tribuentes & permutationis genera, l. 25. sed etsi, §. 11. consuluit. de petit. hered. refero, & ob id jurisprudentiæ attribuo, in qua domi est & habitat: in Ethica vero agens ab ædibus & larib. domesticis peregrinatur. De ingratitudine plurima ICti passim tradũt in tit. De ingrat. liber. & tit. De revocand. donat. & passim alibi. Gravitatem & verecundiam virtutes Ethicas libenter agnosco, earumq; mores in verbis & gestu exprimo, quod ab aliis omissum. Innocentiam vero ex Ethica ad jurisprudentiam relego & de ea latius ago suo loco, sub cap. Fama & dignitate. quamvis etiam non malè hæc quasi communis quidã Theologia, Politica & Jurisprudentia fructus & effectus dicatur. His ita accurate examinatis & omnibus virtutibus ad κριτήριον ac tribunal legum artium & methodi revocatis, quid tandem Ethi-

ea aliud, quam ars multarum artium spoliis consarcinata & ditata? cui si aliena bona auferantur, quid aliud erit quam ridicula illa avis alienis pennis exornata, deplumata & nudata? Quid aliud pleraque Ethicæ virtutes quam rivuli ex aliis artibus deducti & derivati? quid aliud quam consectaria ex aliarum artiũ regulis & præceptis formata, vel per consequentiam deducta axiomata? Quid aliud quam flores in amplissimis aliarũ artium campis decerpti & collecti? Excipio hic paucas quasdam virtutes, quas ut Ethicæ propriũ patrimonium & possessionem adsigno & reservo, & suis in locis trado. Respiciunt enim illæ ad summum Ethicæ scopum & finem, nimirum conversationem in sermone & gestu seu habitu consistentem. Ideoq; in aliis artibus heterogeneæ & peregrinæ. Reliquæ virtutes, quæcunq; ex his ad pié vivendum ab hoc fine dependent, ad Theologiam referuntur: quæ ad commode degendum & humanam societatem colendam, ad Politicam: quæ ad jus in humana societate colendũ, ad Jurisprudentiam: quæ ad naturales rei proprietates & affectiones cognoscẽdas spectant, ad Physicam: quæ ad rationem bene disserendi, ad Logicam. Quodcunque enim præceptum ad summum artis alicujus bonum & finem directo tendit, & reciproce cum forma & fine artis congruit, hoc eidem etiam homogeneum & essentiale constituendum est, ut Logici docent. Sed pergamus ad divisionem Ethicæ communis.

Usus linguæ & sermonis decorus in hac cõ-

muni

muni Ethica consistit in duobus membris: nimirum in conceptione verborum & enunciatione conceptorum.

Conceptio verborum est, qua animi nostri cogitata aliis, quibus cum conuersamur, significanda, & verba præmeditamur. *Nam qui aut tempus quid postulet nō videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum quibus cum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur, Cicer. 2. De orat.*

Ergo verborum conceptio reliquarum artium adminiculo perpendit qualitatem rerū, personarum & verborum, de quibus scilicet rebus, ad quas personas &, quibus verbis sermonem instituere & habere conveniat. quæ est διάκρισις quædam, & δοκιμασία sermonis nostri, *arg. Hebr. c. 5. 14. Hujus formulam exprimit Plutarchus: Quis (*inquit*) hic sermo est? quid nam boni adquiram si dixero? quidve molesti si tacuero? Non enim sermonem tanquā onus quoddam promentem deponere oportet, quoniam & dictus similiter permanet: sed aut nostri caussa effamur, si qua re indigemus; aut prosumus audientibus, aut gratiam aliquam inter nos conciliamus, quemadmodum sale, ita sermonib. condientes conversationem actionemq;, in qua sumus. Sin vero neque dicenti est utile id quod dicere volumus, neque necessarium audientibus, nullaq; voluptas adjuncta est & gratia: cur dicitur? Non minus enim sermones quā opera frustranei sunt & inanes.*

Plutarch. De garrul. in fin. Isocrat. ad Demon. Quidquid dicturus es, prius apud animum tuum expende. multorum enim cogitationē lingua præcurrit. Cicer. Orat. ad Brut. Debemus considerare in omni re quid aptum sit & consentaneum tempori & personæ, tum quid in dictis factisq; dedeceat. & ibid. Non omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est aut sentētiarum, semperq; in omni parte orationis, ut vitæ quid deceat est considerandum: quod & jure de qua agitur, expositum, & in personis eorum qui dicunt & eorum qui audiunt. Ecclesiastic. c. 28. 29. 30. Ergo sermonis tui trutinam confice & ori tuo fac jannam & vectem, & attende ne quando labaris illis ut non concidas coram insidiatore. Proverb. c. 15. 28. Os improborum eructat temere & inconsiderate mala, &c. vers. 10. 14. Sapiens diligenter ponderat verba sua. Ecclesiastic. c. 21. 28. c. 11. 7. Psalm. 37. 30. Proverb. c. 33. 4. Eccles. c. 13. 14. c. 14. 21. Beatus vir qui cum sapientia res honestas meditatur & qui intelligentia sua res sanctas differit, & versic. seqq. 1. Thessal. c. 5. 21. Senec. alibi, Quicquid dicturus es, antequam aliis dixeris, tibi dicito. Nam ad pœnitendum properat, qui cito dicit, vel judicat. Dictum enim indictum fieri nequit: non dictum facile dici.

Διάκρισις igitur hæc est rerum, personarum, & verborum, de quibus ordine videbimus.

In rebus, de quibus sermonem instituere volu-

volumus, videndum, quas decorum & honestum sit proferre & enunciare, & quas tacere.

Decorum & honestum est loqui de rebus cognitis, convenientibus, utilibus, necessariis & veris. *Ut testantur exempla Christi & aliorum piorum hominum, qui de variis rebus sanctis, piis, utilibus, necessariis cum aliis collocuti leguntur in sacris literis. De qua re vide differentem Macrobium lib. 7. Saturn. c. 1. Plutarch. lib. 1. Sympos. & Joh. Guil. Stuckium lib. 3. c. 18. & seqq. Convivial. antiqu. ubi plures, prout est vir doctus & plurimæ lectionis, in hanc sententiam adducit. Isocrates ad Demonic. Duo tibi tempora ad dicendum deputa, vel cum sunt aliqua, de quibus exploratum habeas, vel de quibus dicere est necesse. In solis enim istis potior est silentio sermo: in reliquis melius fuerit tacere, quam loqui.*

Ergo sermo sit de iis rebus quas loquens optime intelligit, aut de iis ad quæ dicenda necessario constringitur, & urgetur, aut quæ loco, tempori & personæ convenire intelligit, usu frequenti, conversatione & prudentia edoctus, sive illæ sint Theologicæ, sive Juridicæ, sive Philosophicæ, Logicæ, Physicæ, Politicæ, Ethicæ, aut Oeconomicæ, aut alterius cujusdam artis, Agriculturæ, Architecturæ & similium. In his enim melius & satius loqui quam tacere. *Ephes. c. 4. 29. Sed si quis sermo est commodus ad ædificationis usum ut gratiam auditoribus adferat, & 1. Cor. c. 14. 19. In ecclesia malim quinq; verba ex intelligentia mea loqui*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ut & alios instituam, &c. & vers. 1. 2. & seqq. Ecclesiastic. c. 20. 4. 5. 20. 6. 3. 23. c. 4. 27. Proverb. c. 10. 20. 21.

De ejusmodi rebus sermo institutus, de loquente bonam opinionem procreat. Nam lingua sapientum bonam profert scientiam. Os autem stolidorũ, eructat stultitiam. Prov. c. 5. 2. & labia sapientum spargunt scientiam, & animus stultorũ quod abest à recto, vers. 7. Ephes. d. c. 5. 19. Et ut lumen oculorũ lætificat animũ, ita auditio bona pingue facit ossa. Prov. c. 15. 30. 31. & labia justa diligit rex. Prov. c. 16. 13. Et qui intelligentes sunt, ii sermonibus suis testantur sapientiam. Eccles. c. 18. 30. & qui respondet recta verba, ejus labia osculabitur. Prov. c. 24. 26. & c. 12. Jacob. c. 3. 10. Et vir qui regiones multas peragravit, novit multa; & qui multa est expertus, enarrat sermones intelligẽtiæ. qui non est tentatus, novit pauca. Ecclesiastic. c. 34. 9. 10. 11. c. 39. 5. & vir callidus eruditor multorũ, Eccles. c. 37. 22. Plura de subiecto sermonis vid. Proverb. c. 6. c. 18. 20. 21. c. 21. 23. c. 16. 2. 21. 26. Ecclesiast. c. 4. 29. c. 27. 4. 5. 6. c. 5. 15. c. 22. 31. c. 18. 30.

Ea quæ tacenda sunt, duorum sunt generum. Vel enim omnino sunt tacenda, vel aliquatenus, & quandoque sermone silentium temperandum.

Omnino tacendum & sermo cohibendus, quando honesta & conveniens dicendi materia, vel scientia deest.

Materia honesta deest in rebus auditu odiosis, quæ decoro & honestati aduersantur.

Deco-

Decoro aduersantur res incōvenientes, tędiosæ, alienæ & falsę. Unde homo dicitur insulsus, bardus, rudis, fatuus

De rebus inconvenientibus sermo instituitur, quando eædem sunt alienæ, impertinentes, non convenientes negotio quod agitur, vel personis loquentis, & illius ad quem sermo dirigitur, cui pręsenti ruborem incutiant, vel in cuius ignominiam & notam vergunt, vel quæ indicio esse possunt, eos, quorum communione utimur, non valde a nobis amari, aut certe non magni fieri.

De rebus tędiosis & fætidis sermo habetur, quando ex verbis & sermone nostro per imaginationem sensus aliquis externus audientis, visus, auditus, gustus, olfactus, tactusve offendi potest.

Honestati adversantur res factu, auditu & dictu turpes. Unde homo talia proloquens, ἄθεος cognoscitur & Epicureus. Ejusmodi sunt res turpes, spurcę, obscœnę, impiæ & illicitę. *Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 6. De hisce rebus omnino tacendis, vide Psalm. 141. 3. Compone Jehova, observa os meū, custodiēs moderare quidquid efferunt labia mea; (hoc est, ut Junius explicat, ut Deus sermones ipsius componat & informet prudentia, qua sibi ab omni maleficio caveat) & sermones meos rege ne quid temere profundam, aut adversarii mei subdole aliquid hauriant ex imprudentis animo & ore. & 1. Timoth. c. 5. 13. de rebus profanis, anilibus fabulis, futilibus, vanis,*

nugacibus, stultis, frivolis, inutilibus, scurrilibus, garrientes, quæ non oportet. de quibus etiam 1. Timoth. c. 1. 4. c. 4. 7. 2. Timoth. c. 2. 23. Tit. c. 3. 9. Ephes. c. 5. 4. & Jacob. c. 1. 26. Si quis videtur religiosus inter vos, non frenans linguam suam, sed suum ipsius cor seducens, hujus vana est religio. & c. 3. 2. Si quis in sermone non impingit, hic perfectus est vir, ut qui possit fræno moderari totum etiam corpus. & vers. 8. Linguam enim nullus hominum domare potest. Malum quod coërcere non possis, plena est veneno. Coloss. c. 3. 8. At nunc deponite vos hæc omnia, iram, malitiam, excandescentiam, maledicentiam, verborũ obscænitatem ab ore vestro. Matth. c. 12. Dico vobis, quodcunque verbum ἀργὸν, (id est malum, leve, vanum & futile) loquuti fuerint homines, de eo rationẽ reddituros in die judicii. Ex sermonibus enim tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis. Clem. Alexand. lib. 2. c. 6. Turpiloquio, & nos omnino abstinere oportet, & iis qui illo utuntur os obstruere, & aspectu severiore & vultus aversione, & ea quæ vocatur subsannatione & sæpe etiam asperiore oratione. ubi etiam αἰσχρολογίαν definit τὴν περὶ τῶν τῆς κακίας ἔργων λογοποιΐαν. Ἀδολεσχίαν φλύαρον, nugas ineptas. Ephes. c. 5. 3. Scortatio vero & omnis impuritas aut avaritia ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos, 4. Et obscœnitas & stultiloquium & scurrilitas, quæ non conveniunt, sed potius gratiarum actio, 12. Nam quæ occulte fiunt, ab istis turpe est vel dicere, & c. 4. 29. Nullus sermo putris egrediatur ex

ore

ore vestro. Ecclesiastic. c. 37.21. Lingua dominatum assidue obtinet, & 1. Pet. c. 3.10. Itaq; qui vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam à malo & labia sua ne loquantur malum, vel dolum. & Proverb. c. 25.28. Ut *civitas disrupta absq; muro, ita est cuicunq; non est imperium in suum spiritum, & c. 16.26. qui res molestas temere aut improbe eloquitur, molestiam sibi adfert & reflectitur in ipsum ejus os, & c. 13.3. Remove à te perversitatem oris tui & labiorum. ubi* Jun. *& c. 4.24. & c. 8.13. in dicto libro Proverb. quibus ex Psalmis adde Psalm. 50.16. Quid tu enarres decreta mea & assumas fœdus in ore tuo, 19. Os tuum adhibes ad malum & lingua tua concinnas dolum, 20. Sedens fratri tuo obloqueris, in filium matris tua edis infamiam: & Psalm. 34.13. Quis est vir ille qui amat dies, delectatur vita & frui bono? Custodi linguã tuam à malo, & labia tua ne loquantur fraudem, & Psalm. 52.4. & 140.4.12. & 141.3. & Proverb. c. 13.3. Qui custodit os suum ne extra metas officii sui excurrat aut divagetur sermo, seipsum conservat. & Proverb. c. 4. 24. c. 10. 18. 19. c. 11. 9. c. 12. 13. 14. 19. c. 15. 2. c. 16. 27. 28. c. 17. 20. 27. c.* 18. 21. *c. 21. 23. c. 23. c. 25. 28. 28. Matth. c. 12. 36. Luc. c. 6. 45.* 1. *Corinth. c. 15. 33. Eccles. c.* 41. *19. Senec. De morib. Turpia ne dixeris. Paulatim enim pudor per verba discutitur.* 1. *Cor. c. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Seneca lib. 3. De ira: Sumuntur à conversantibus mores.*

CAP. III.
In quibus rebus sermo silentio temperandus.

ATque hę fuerunt res de quibus omnino in conversatione non loquendum. Sequitur de quibus quandoque tacendum & sermo silentio, & silentium sermone temperandum. quod est indiciũ hominis animi sui compotis.

Temperandus itaque sermo silentio 1. in assensu & dissensu. 2. in commendatione. 3, in mentione aliorum facienda. 4, in jocis. 5, in irrisione & censura. 6, in increpatione & reprehensione. 7, in contentione.

Assensus, vel dissensus, qui sermone fit, silentio ita temperari debet, ut in eis non sit levitas, vel vitiosus pudor; neque etiam malitiosa affectatio & obstinatia.

Levitas est flexibilitas & mollities, qua in sermone promiscuè sine delectu quævis pręproperè & inconsideratè approbantur, vel ob vitiosam & immodicam verecundiam nõ denegantur. Nam qui cuivis voci acclamat, homo levis dicitur, adulator, aut imperitus & ineptus.

Immodica & vitiosa verecũdia est, qua ex vana suspicione & metu cujusdã probri, vel ob imaginationem existimationis offensæ & pręsumptionem mali postulantibus & petentib. postulata non recusamus, vel pollicemur quæ pręstare non possumus.

De

De hoc vitioso pudore & verecundia, quæ Græcis δυσωπία, ἀ δὺς & ὢψ, eleganter Plutarch. De vitiosa verecundia, Imminet illa, ait, mollibus & effeminatis, nec valet ad ullam petitionem renuere aut contradicere, quod judices avertit à justitia, multaq; cogit tum dicere tum facere inconsulte, dum nullam interpellationem potest repellere, aut removere, perinde ut ager supinus & mollis turpißimis tum factis tum cupiditatibus pervius est, omnia præbet invadentib. immunita, patentia, proclivia. Tales verecundi perdunt ingenia sceleratißima, persuadendo vero & exorando corrumpunt etiam proba. Talis pudor immodicus mutuum dat, quibus diffidit: spondet, pro quibus non vult, & multa damna patitur. Ex hoc periit Dion, non quod ignoraret sibi à Callipo strui insidias, sed quia puduit observare amicum & hospitem. Ex hoc ebrietas, quod propinanti ob pudorem satisfacere volumus. Atq; sic etiam multis instanter improbeq; flagitantibus damus non quod velimus dare, sed quod negare non valeamus. Malus pudor, malus rerum dispensator. Sic sæpe adsumitur pædagogus ob petitionem vel intercesionem amicorum, qui non aptus neq; idoneus. Accidit itaq; pudori & verecundiæ immodicæ, ut damna, fumum ignominiæ & levem reprehensionẽ vitat, incidat & se coniiciat in ignem & pudorem confessum, qui pœnitentiam perpetuũ comitem habet.

Remedium huic verecundiæ vitiosæ ponit Plutarch. primò silentium, quod respõsi loco: Deinde excusationem coram illis, qui nostræ

pudori vim faciunt, proponendam ait. Et tertiò, firmum propositum, de non cedendo territantibus, vel assentantibus nobis.

Vitiosę verecundię contraria est impudentia; cujus indicia sunt, quando quis non confunditur ob ea, quæ existimationis offensioné & ignominiam procreant. *Ut, petere mutuum ab eo qui à te pecuniam mutuam petiturus videbatur: vel novam summam petere, ne prior à te repetatur. Item, accurate quid laudare, ut id ipsum tibi donetur ab alio, qua occulta & impudẽs petitio. Item, repulsam passus, nihilominus instare & molestum esse. Alium in os laudare, vel virtutes ejus extollere & vitia præterire. Supra modum in alterius calamitate dolere. Non sustinere posse labores quos seniores, delicati, vel nobiliores sustinuerunt. Ab alio beneficium accipere & eidem sæpe molestum esse. De se ipsa magna prædicare & polliceri. Alienam gloriam sibi adscribere. Vide Aristotelem lib. 2. Rhetoric.*

Malitiosa obstinatio & affectatio est: contrà rigor & immobilitas, qua nos austeros & refractarios erga alios præbemus in sermonis assensu. ubi imprimis odiosa est vana contradictio & pertinacia.

Veritati ne contradicas ullo modo, sed verecundia cohibetor, ne mentiaris inopia eruditionis tuæ. Eccles. c. 4. 30. neq; intelligentiæ propriæ contra alios innititor, neq; sapiens esto judicio tuo. Proverb. c. 3. 5. 7. c. 26. 12. Eccles. c. 7. 23.

Nihil inexpertum affirmes, vel neges; *quia non*

non omne verisimile, statim verum est: sicuti & sæpius, quod incredibile, non continuo falsum est. Crebro siquidem faciem mendacii veritas retinet: Crebro mendacium specie veritatis occulitur.

Non singulis aliorum verbis & dictis te opponas, vel de iis disputes, aut alterceris cum audacia & confidentia, *Eccles. c. 4. 34. Proverb. c. 28. 14.*

Non cōtradicas aliis causa victoriæ, vel vincendi studio, sed quemvis in sua, non impia opinione, relinquas. Amamus enim eos qui nobis iratis aut seria agētibus nō aduersantur.

Qui animo obstinato & feroci aliorum opinionibus contradicunt & obsistunt, & quibusvis eminere volunt consilio & scientia, sibi aliorum malevolentiam & tędium conciliant, & per arrogantiam, subtilitatem & vigorem intellectus sui ostentant. Est enim stultitię gradus velle videri sapientem. *Nā qui sapientem agit in verbis, odiosus est, & omni sapientia destituitur. Ecclesiast. c 37. 23. & seqq. c. 7. 23. Prov. c. 26. 12. c. 3. 5. 7. Vidisti virum sapientem in oculis suis? exspectatio est de stolido major quam de illo. Agricolæ spicas inclinatas versus terram libētius vident, quam eas quæ sursum attolluntur; quæ inanes & cassæ: Ita qui maximè vani sunt, & gravitatis expertes, audaciam habent speciemq; & incessum vultumq; plenum superbiæ, ac contemtus: ubi vero impleri incipiunt fructumq; è doctrina colligere, tum ferocia ista & vanitas deponitur. Ita fit ut ad scholam accedentes, primum sibi sa-*

pientes esse videantur, deinde fiant philosophi, postea oratores, tandem temporis progressu rudes & plebei, ut ait Plutarchus.

Stultorum genera tria vulgo constituunt: Unum est eorum, qui sine discretione & arrogantia judicant, *vid. Proverb. c. 12. c. 13.* qui insulsi sine sale, simplices, incauti, improvidi, & inepti vocantur. Quidam cum stulti quidem sint, tamen se sapientes arbitrantur, quorum numerus, teste Salomone, est magnus. Quidam cum sint stulti, alios tamen stultos putant seque solos sapientes, minimã scintillam mentis habentes, nec se neq; alios cognoscentes, interim tamen superbe, omnia judicantes & præ se contemnentes: qui *fatui* dicũtur, quod omnino desipiant. Dementes & furiosi dicuntur qui nihil mentis habent. *De quibus videre licet Menoch. libr. 6. Præs. 45. & libr. 2. cas. 529. arb.* jud. *quæst. Pet. Gregor. libr. 15. Synt. c. 5. & Proverb. c. 26. c. 27. & passim alibi. Proverb. c. 28. 11. Sapiens videtur in oculis suis stultus, & vir dives: sed tenuis prudens perscrutatur eum, & c. 12. 14. Galat. c. 6. 3. nam si quis sibi aliquid videtur quum nihil sit, hunc suus ipsius animus seducit. Intelligentiæ tuæ ne innititor, neq; sapiens esto judicio tuo. Proverb. c. 3. 5. 7. c. 26. 12. Ecclesiast. c. 7. 23. Esai. c. 5. 21. Væ sapientib. judicio suo, 2. Corinth. c. 10. 12.*

Vir cerebrosus & αὐθάδης pervicax pro desiderio quærit & omnibus quæ sunt se immiscet, hoc est, in sensu animi sui conquiescit, seque ab omni consortio

fortio subducit & nihilnon præ se fastidit & cuncta ex arbitrio facit. Proverb, c. 18. 1. 2. 3. Ecclesiast. c. 6. 2. & sibi ipsi confidit & contentiones miscet, Proverb. c. 28. 25. 26. vid. exemplum 1. Samuel. c. 25. 3. 17. Vocatur ejusmodi (κληρέστομος ἀπειθὴς, δυσαγωγὸς, δυσκαθέκτης, & seipsum amat ejusmodi sine corrivali.

Huc quoq; refero, studium alteri adversandi ejusq; conatus impediendi, non ut commodum aliquod ipse ex ea re nanciscaris, verum ut alterius commoda intervertas & corrũpas, quod vitium vocant ἐπηρεασμὸν, quod ὀλιγωρείας indicium est. *Proverb. c. 13. 10. Mera superbia vir edit jurgium, at penes consultos est sapientia: industriè cavens ab accẽdendis, inflammandis & fovendis jurgiis.*

Ethicus igitur ex modestia alium se præstantiorem existimabit. *Philip. c. 2. 3. Roman. c. 12. 10. & ad omnia verba non adhibebit animũ suum, sed dissimulabit lege charitatis & prudentiæ, Ecclesiast. c. 7. 21. arg. Galat. c. 6. 1. 1. Sam. c. 8. 38. 8. 16. 10. & Prov. c. 17. 9. 10.*

Importuni & fastidiosi sagaces vocantur, qui subtilitate quadam ingenium suum cõtra alios acuũt, dictis eorum laqueos intendentes & insidias.

Sequitur de commendatione, jactantia & adulatione. Commendatio est sui ipsius, vel aliorum laudatio.

Caussa suæ laudis est φιλαυτία: deinde, laus proximi, quæ ex æmulatione quadam incen-

dit eos qui intemperáter erga gloriam sunt affecti: Quemadmodum esurientiũ aliis comedentib. magis irritatur & concitatur appetitus. Tertio, aliquando etiam feliciter ex animi sententia gestorum narrationes abripiunt aliquos in jactantiam. Quarto, quidam de se aliorum laudes & beneficia recitantes, seipsos de philautia suspectos reddunt. Quinto, quidam in repræhensionib. captant gloriam, quod ipsimet semper virtute præditi scilicet fuerint. Plane per alterius ignominiam, gloriam sibi venari & captare, & dum propriam laudẽ immiscet, alterius vitúperio & depressione evehi velle, malitiosum & detestabile est. *Plutarchus De sua ipsius laude.*

Laudẽ propriam semper sequitur alienum vituperium, & glorię illius finis est ignominia. Nã qui seipsum laudat, primo suspectũ se reddit de glorię cupiditate & arrogantia, vitiis pessimis. Deinde, quod sui ipsius sit amator & admirator sine corrivali. Tertio, se laudat ut ab aliis laudetur, & alios obscuret & deprimat. Quarto, desideriũ suum ostendit; Nam quemadmodum is qui dolet, ibi etiamnum habere solet, ubi dolet: sic etiam talis in eo quo delectatur vocem suam habet, & linguam circumagit. *Navita enim de ventis, de tauris narrat arator.* Et qui sui ipsius amator est & ambitiosus, is plurimam diei partẽ eò impendit, ut ipse videatur optimus. In historiis, legendi studiosus; in sermonis artificio grammaticus; in peregri-

nis

nis narrationibus, qui multas terras peragrarit & pervagatus sit. Ergo in hisce sermo cohibẽdus. Garrulitas enim inescata ab hisce progreditur & molesta redditur. *Plutarch. De garrulitate.*

Quinto, qui seipsum laudat, impudens pręsumitur; quod scilicet nõ erubescit sibi tribuere, quæ eum ab alio accipere oportebat. Sextò, de se indicium etiam præbet contemptus cujusdam aliorum, qui tacentes pręsentes moleste ferunt jactantiam & tacite obscuri redduntur & deprimuntur, & quasi testes virtutum prædicatarum laudantis tacite rogantur, qui id minimè volent testificari.

Studium de se dicendi, cum alii laudantur, ob invidiam, æmulationemq;, in medium nõ est proferendum, ac neq; alii nos laudantes, tum sustinendi, sed concedendum tempus & locus iis, qui honore digno afficiuntur. Quod si illo honore illi indigni, haud tamen decet ut nostris laudibus, illorum laudi detrahamus. *Plutarchus de sua ipsius laude.*

Gloriam vir civilis, non ut mercedem, aut solatium appetit, amatq; actionibus adstãtem, sed quod fides & bonitatis opinio de se, apud alios, plurium ac præstantiorum actionũ occasiones præbeat, ut ait *Plutarch. d. loco.* sed hæc, si prædicatio non ab ipso, sed alio proficiscatur. *Laudet te potius os extranei, non autem os tuum; alieni, non autem labia tua. Proverb. c. 27. 2. & opus ipsum potius te commendet, & c. 18.*

2. ubi Lavater. Ecclesiast. c. 9. 21. 2. Corinth. c. 10. 18. non enim qui seipsum commendat, is probatus est, sed is quem Dominus commendat. Vide Plutarch, De garrulitate.

De bonis & honoribus nostris, virtutibus uxoris, liberorum, famulorum, item, de propriis divitiis, rebusve gestis, officio, natalibus, neq; gloriose loqui, neq; contemptim dicere convenit. *Proverb. c. 13. 7. Est enim illud aliis defectus suos exprobrare: hoc vero virtutes aliorum habere ludibrio. Et eum qui peccat in animam suam, quis justum pronuntiabit? & eum qui vitam suam afficit ignominia, quis ornabit gloria? Ecclesiast. c. 10. 32. Et qui sibi ipsi malus, cui erit bonus? Ecclesiast. c. 14. 4. 5. Siquidem non minus malum est tibi adscribere malum quod non admiseris, quam arrogare tibi bonum aliquod, quod non feceris. quo alludit Cato in Distichis: Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse. Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis. adde Eccles. c. 34. 1. 2. & seqq. c. 4. 6. Jacob. c. 4. 16. Non obstat illud Pauli de se, quod peccatorum omnium sit primus. ad Timoth. & quod est Proverb. c. 30. 2. 3. & illud Christi de se, Vermis sum, non homo.*

Conditionem itaq; suam extenuare minime decet: *Ecclesiast. c. 10. 32. & seqq. Proverb. c. 13. 7.* Habet siquidem speciem gloriationis. Unde etiam haud decet valde recusare debita obsequia & honores convenientes. quod est honore se aliis præferre & eosdẽ vilipendere. quæ est φαυλοπαιστρία, aut modestiæ & humilitatis

tatis ſimulatio quędam, quę tamen duplex ſuperbia rectevocatur. Recuſare vero, quod officiosé benevolentię cauſa ab alio prętatur, eſt ruſtici, barbari, auſteri & inhumani. *Vide de Nabale, 1. Sam c. 25. niſi impii & illiciti quid exhiberetur, quod conteſtatione recuſandum, exemplo Petri & Pauli, Actor. c. 14. 11. 2. & ſeqq. cap. 12. 21. & ſeqq. c. 10. 25. 26.*

Non extollas neq; dejicias quenquã. Laudá parcé & parcius vitupera. Nam nimia laudatio adulationem, & nimia vituperatio, malignitatem ſapit. Et nimia parſimonia & tenacitas in laudandis aliis indicat hominem adhuc laudis inopem & famelicũ. *Plutar. de auditione.* Qui hyperbolice laudat, traducit laudatos, quaſi ſchi ſuperbia impulſi, nimias laudes affectarent.

Nemo quoq; in faciem laudandus; ſed dicendum potius cõſtare tibi de pręſentis laude & virtutibus, ſed excuſabis te nolle præſentem laudare. Qui laudat ea, de quorum poſſeſſione & pręſentia dubitat laudatus, gratiã & amorem ſibi conciliat: qui vero certus eſt de re laudata, judicat ſe non egere præconio.

Neq; laudes quẽq; de pulchritudine ipſius, neq; abomineris quẽquã ex aſpectu ipſius, Eccleſ. c. 11. 2.

1. Seipſum laudare civile aliquando & cõveniens eſt, quando nimirũ id facis ad defenſionem honoris & famæ tuæ, adverſus calumniã, vel accuſationem, vel injurias.

2. Deindę infortunatis & calamitoſis ſuperbia & jactantia convenire poteſt, quan-

do se hac contra fortunam erigere, animumq; suffulcire volunt, & omnibus modis commiserationem & lamentationem à rebus insperatis provenientem ac dejectionem vitare & propellere, ut ait *Plutarchus de sua ipsius laude*.

3. Tertio etiam ille qui reprehenditur ob ea quæ recte fecit, is si facta sua laude evehat, venia dignus est. hic enim nō exprobrare, sed defendere se dicitur.

4. Decorum quoq; habetur laudare alium, qui iisdem quibus laudator, est præditus virtutibus; hoc est, ille qui seipsum ob similitudinem virtutis in alio laudat, vel aliud agens, aut per aliud obliquè, non affectatè, laudes suas introducit.

5. Qui seipsos laudare coguntur, minus sunt molesti, quando Deo & aliis caussis laudē suam communicant.

6. Similiter qui correctione quadam mitigant laudem apud feroces & invidos, vel injiciunt levia peccata, frustrationes & excessus, vel desiderant aliquid, vel asserunt aliud potius laudandum, vel ob alia, vel deteriora abscondi, vel alios quibus major laus debetur non laudari. qualis non infert, sed transfert laudem. *ut ait Plutar*.

7. Ob exhortationem quoque & imitationē contentionemque auditorū semet ipsum quis laudare civiliter potest. Nam exhortatiō factum simul & sermonem habens, exemplū & imitationem propriam & familiarem, vivax

mo-

movet & incitat cum impetu, & proposito ſpem de rebus poſſibilibus commovet.

8. Interdum quoque perterrefactionis correptionisque gratia ad humiliandum ſubjiciendumque contumacem & improbum, convenit gloriari aliquid de ſe ac magnifice prædicare. Talis enim laus eſt non populi gratiam emerentis, aut ſophiſtam agentis, neque plauſum, aut popyſmum petentis, ſed eius qui virtutem ſcientiamque pro pignore fiduciæ offerat amicis. Magnum eſt enim momentum in temporibus periculoſis ad ſalutem gloria fidesque viri, imperatoriam experientiam ac potentiam habentis. Hic itaque ſeipſum laudans, prodeſt audienti, eiusque judicium corrigit. *Plutarch de ſua ipſius laude.*

Sanctos quoq; quandoque laudaſſe ſua facta conſtat. *1. Sam. c. 12. 5. ubi Martyr. Eſaia c. 18. 3. & ſeqq.* 1. *Reg. c. 18.* 13. 14. ſed non oſtentant, imo potius hæc ad Deum autorem referunt & ſua vita gloriam Dei illuſtrant; & pondus doctrinę ſuę addunt & gratias Deo agunt, non ſicut Phariſæus apud Matth.

Sequitur de adulatione: Blanda benignaq; oratio civilis eſt: ſed aſſentatoria indecora & turpis, qua nimirũ quis in conſuetudine, convictu, ſermonis negotiorumque communicatione, omnia gratificatur omnibus, eandem affectionem animi fingit & imitatur, omnia collaudat quę aliis placere putat, neque cuiquam, ubi vel maxime opus eſt, adverſatur, ſed ita ſi- Adulatio.

hi persuadet, molestiæ nemini quidquam esse creandum, 1. *Thessalon. capite 2. vers. 3. 4. 5. 6.*

Est igitur adulatio blandus quidem sermo, sed talis, quo homini placere volumus, quo studemus lucrum aliquod, vel benevolentiam captare ab alio, eo quod alii attribuimus quod non habet, vel bonum quod habet nimium extollimus, vel vitium laudamus, vel æquum rectumque dissimulamus, vel majora quam decet tribuimus. Tectissimus vero est adulator, qui cum maxime aduletur, tamen eam præ se fert speciem libertatis vt possit videri non adulari, sed potius refragari. Ita David Regi Achi hoc astutissimo genere adulationis adulatur. *Samuel. cap. 28. ubi Martyr. & 1. Samuel. cap. 29. 8.* Ideo adulatio animi deprædatio, amicitia ficta, corruptio, infatuatio, venenum placidum & jucundum, atque incantatio vocatur, & adulator corvus, parasitus, hirudo, musca, tinea, & amicus ollaris.

Adulator ergo hominem malum pejorem reddit, bonum vero corrumpit, vitia nutrit & auget, virtutes sistit & languefacit. *De quo sermonis vitio vide Plutarch. De discrim. adulatoris & amici, & Senecam lib. 4. epist. 31. & libr. 8. epist. 60. Roman. c. 16.* 18. *Nam qui ejusmodi sunt, Domino nostro Jesu nõ serviunt, sed suo ventri: & per blandiloquentiam & assentationẽ corda hominum minime malorum seducunt.* 1. *Thessal.*

sal. cap. 2. 4. 5. 6. *Coloss. cap.* 3. 22. 23. 24. *Actor. c.* 12. 22. *Jerem. cap.* 6. 13. 14. 2. *Sam. c.* 15. 6. 3. 4. 5. *c.* 13. 3. 4. 5. *c.* 16. 1. 2. 3. 4. *Genes. cap.* 31. 20. 26. 27. 1. *Corinth. cap.* 7. 33. 34. *& passim alibi: Labia autem blanda exscindet Jehova. Psalm.* 12. 4. *& Psalm.* 5. 10. *& mali linguâ suâ dolose blandiuntur: & Psalm.* 140. 4. 10. *Psalm.* 10. 7. *Psal.* 55. 22. *Cujus blanda sunt butyrina verba, dum bellum insidet animo ejus, cujus molliora quidem verba oleo, sed stricti gladii sunt. Et ei qui benedicit amico suo voce magna & tempestive surgendo, maledictio imputabitur ei, hoc est, assentator, qui officia sua singulis momentis fingit & prædicat, maledictus est, ut Junius explicat. Proverb. cap.* 27. 14. *Ecclesiastic. c.* 6. 8. 9. *& seqq. c.* 12. 14. *& seqq. c.* 28. 14. *Nam vir qui blanditur animo suo, rete & insidias pandit circa pedes ejus. Proverb. c.* 29. 5. *cap.* 6. 24. *c.* 7. 6. 21. *& ore blando perficit impulsionem. Proverb. c.* 26. 28. *Ecclesiast. c.* 5. 16. *c.* 21. 29. *cap.* 6. 9. 10. 11. *Adulatores Plutarchus ait esse similes pediculis, qui à morientibus discedunt, eorumque corpora relinquunt, simulatque sanguis extinctus est, quo nutriri solebant. Sic & adulatores nobilibus & potentibus imminent hisque aluntur; sed iisdem rebus commutatis, statim avolant.*

Adulatoribus similes sunt delatores malitiosi. *Vide* 1. *Samuel. cap.* 22. 9. 10. *cap.* 23. 19. *& fœmina malitiosa, quæ blanditiis suis maritos suos seducunt & decipiunt. de quib. vide Proverb. c.* 31. 3. *Ecclesiast. c.* 4. 1. 2. 3. *c.* 19. 2. *& seqq.*

c. 25. per tot. quales fuere uxores Salomonis & Achabi, & aliorum.

Adulationi contrarius est candor, quo illud quod sentimus ingenue & sine dissimulatione dicimus.

Maledicentia. Sequitur de maledicentia: De aliis quidem loqui civile sæpe est, sed male de aliis loqui, vel arcana eorundem revelare, hominis incivilis.

Maledici autem inciviles varii sunt. Quidā sunt personati, quidam Rhetores, quidam hypocritæ, quidam scorpiones mordaces, vel ignoti. ut *Guazzius loquitur*.

Personati seu larvati maledici sunt, qui larva modestiæ se obducunt & interim tamen ab omnibus cognosci cupiunt. Tales sunt qui dicunt se nolle nomen exprimere ejus, cujus famam lædunt, interim tamen satis describunt & declarant, ut ab audientibus cognoscantur. Atq; tales mel in ore, novaculam sub cingulo gerere dicuntur.

Rhetores maledici sunt, qui sub specie & colore occupationis simulant se nolle maledicere, & tamen eo ipso male, imo pejus loquūtur & per ironiam pungunt. item, qui sub specie laudis exagitant, uti qui timidissimum Achilli vel Herculi comparant, aut injustum Aristidi, *vid. Macrob. lib. 7. Saturnal. c. 3.*

Hypocritę maledici sunt, qui sub specie doloris & compassionis lacrymabili, lenta atque lassa voce & verbis quasi coactis extortisve, aliorum infortunia vel excessus cōmemorant,

que

quo eorundem existimationem minuant & lædant, & petunt ne cuipiam reveletur. *Vide Lavater. Proverb. c. 18. 8.*

Tales quoq; sunt qui benè & rectè dicta factave, aliorum glossa & interpretatione maligna & sinistra in alium perversum sensum detorquent, vel falsos testes subornant contra innocentem hominem, quó juris prætextum habeant.

Maledici scorpiones sunt, qui primo commendant & postea appendunt maculã, & quasi cauda feriunt & lædunt, ut, *Non credo honoratiorem Pamphilo, nisi scortator esset.*

Maledici mordaces sunt scommatum & facetiarum ejaculatores, ex quorum ore breves quædam & aculeatæ projiciuntur orationes, quæ aliorum corda plusquam sagittæ feriunt, ut meminimus, quando brachio te emungebas. Et alia plura exempla recenset *Macrobius lib. 7. Saturn. c. 3.* & fœtum contumeliæ vocat. Sunt tamen quædam scommata minus aspera quasi edentatæ belluæ morsus, quæ plus urbanitatis, minus amaritudinis habent. quorum exempla vide apud *Macrob. d. c. 3.* Præsertim quando dicuntur in eos, qui à dictis sunt alienissimi. uti si nimis & notorié casto dicas ipsi meretrices gratas, &c. Sunt etiam quæ coram quibusdam personis nobis objici & dici nolimus, & coram aliis libenter audire possumus. Conditio dicẽtis etiam scomma commendat, si in eadem sit causa, ut si alium de paupertate pauper irrideat.

Ignoti maledici sunt qui pasquillos, picturas, aut scripturas famosas spargunt, iisque aliorum famam & existimationem transfigunt.

De hisce maledicis singulis passim Scriptura loquitur. Coloss. cap. 3. 8. At nunc deponite vos hac omnia, iram, maledicentiam. 9. Ne mentiamini alii adversus alium, 1. *Timoth. cap.* 3. 2. *Ne cui maledicant, ut sint à pugnis alieni, aequi, omnes exhibentes lenitatem, erga quosvis hominem, & vers. seqq. Psalm.* 140. 12. *Vir maledicus ne stabiliatur in terra, & vers.* 4. 6. 10. *Psalm.* 50. 20. *Roman. c.* 1. 30. 2. *Corinth. c.* 12. 20. *Exod. c.* 23. 1. *ne efferto rumorem mendacii*: 1. *Sam. c.* 24. 10. *Dixitque David Sauli, quare auscultas verbis cujusquam dicentis, Ecce, David quaerit malum tuum.* Jerem. *c.* 40. 14. 16. & Jacob. *c.* 3. 9. 20. *c.* 4. 11. & *Luc. c.* 7. 33. *Venit* Joannes *Baptista neq; edens, neq; bibens vinum, & dicitis Daemonium habet*, 34. *Venit filius hominis edens & bibens, & dicitis: Ecce homo edax, vini potor & amicus publicanorum & peccatorum. Matth. c.* 26. 61. *Dixerunt, iste dixit, possum destruere templum Dei & triduo ipsum aedificare; & vers.* 59. *Quaerebant falsum testimonium contra* Jesum *ut eum morte afficerent. Marc. c.* 14. 55. 56. Joh. *c.* 2. 19 *& sic sinistrè salutationem Davidis accipiebãt* 2. *Sam. c.* 10. 3. 1. *Reg c.* 21. 8. *& seqq. ubi & de* Jesebel *uxore Achabi notabilis subornatio testiũ & quaesitus color juris narratur. Proverb. c.* 16. 27. *Vir nequam & maledicus effodit malum, ejusq; labiis insidet, velut ignis adurens. Eccles. c.* 19. 8.

ne

ne enarra apud amicum aut inimicum rationes alienæ vitæ, 9. Nã qui audierit te & observaverit te, is suo tempore odio habiturus est te, 10. Audivisti sermonem? moriatur apud te, & bono animo esto, non enim rumpet te, 11. A sermone stultus cruciatur doloribus, ut à fœtu parturiens. Proverb. c. 26 23. Ut argenti scoria obducta testa; ita sunt labia prosequentia & animus malus, 24. & labiis suis alium se simulat osor, quum in medio sui disponit dolum, 25. & quando gratiosam præbebit vocem suam, ne fidito ei. Nam septem abominationes insunt animo ejus. Roman. c. 3. 13. Sepulchrum apertum guttur eorũ, linguis suis ad dolum abusi sunt, venenum aspidum sub labiis ipsorum. 14 quorum os diris & amarulentia plenũ est. Psalm. 5. 10. & Psalm. 140. 4. Exacuunt linguam suam similem serpentis: venenũ ptyados subest labiis eorum maxime. Psalm. 52. 4. Ærumnas excogitatas depromis, lingua tua similis est novaculæ acuta, ô artifex doli. 5. Diligis malum potius, quam bonum, mendaciũ, quam loqui justitiã, diligis vehementissime, 6. Dilexisti omnia verba perniciosa, linguam dolosam, & Proverb. c. 26. 28. Vir lingua fallace odit quos attriturus est, & ore blando perficit impulsionem, & cap. 11. 9. Ore hypocrita corrumpit proximum suum, at scientiâ justi liberatur. Levitici cap. 19. 16. Non ambulandum cum detrectatione tãquam si nundineris verba & honorem proximi, & Prov. c. 11. 12. 13. Ecclesiastic. cap. 41. 28. & cap. 22. 22. Qui pungit oculos, elicit lachrymas, & qui pungit cor,

provocat scutum,28 Et qui mittit lapidem in volucres, abigit illas, & qui probris afficit amicum, dissolvit amicitiam, & vers. 23. & confringit ossa. Ecclesiastic.c 28. 20. & perdit, vers. 21. & seqq. & cap. 23. 18. Homo consuescens sermonibus probrosis, omnibus diebus suis nequaquam erudietur. Proverb. c. 14. 21. qui contemnit proximũ suum, futurus est peccator. Ecclesiast. c. 41. 24. Pudeat te si quis te contumeliis probrosis infamibusq; exagitet, cum eo colludere & conventione pacisci ad malum, 28. Pudeat apud amicum sermonum probri; & postquam dederis, ne exprobrato.

Ejusmodi maledici, suspecti & odiosi ideo sunt, quod existimentur id quod de aliis apud nos loquuntur, id ipsum de nobis etiam dicere apud alios. Ideo Seneca recte dicit: *Multi cum aliis male dicunt, sibi ipsis convicium faciunt & iram aliorum excitant.*

Contrà amantur qui nec propria, neq; propinquorum suorum mala & defectus scire videntur, sed tantum bona. Bonus enim homo mala tegit & dissimulat, contra bona ostentat & celebrat. Huc etiam pertinent imprecantes aliis dira, eosq; execrãtes, quæ imprecationes & execrationes prohibitæ. *Vide Martyr. ad Rom. c. 11. 9. & c. 12 14. & Judic. c. 1. 17.*

Secreta, præsertim amici, non sunt revelanda. *Proverb. c. 20. 19. Revelanti arcana qui ambulat cum detrectatione & ei qui seducitur labiis suis, ne admisceto te. & c. 25. 9. Causam tuã age cũ proximo tuo; sed arcanum alterius ne retegito, 10. ne pro-*

ne probro efficiat te qui audit, & infamia tua sit irrevocabilis. & c.11.13. Ambulans cum detractione revelat arcanũ; at fidus animo tegit rem. Ecclesiastic. c.22.25. c.27.16. Qui revelat arcana, amittit fidem, ac nequaquam amicum inventurus est ex animo suo. & vers. 18.23. Matth. c.18.15. Si vero peccaverit in te frater tuus, veni & argue eũ inter te & ipsum solum, &c. De exemplo Josephi vid. Matth. c.1.19. Eccles. c.19.13. & seqq.

De maleficio perpetrando secreta revelare & indicare decorum, & civile & æquum, si fiat ab eo, qui eorum habet certam scientiam, ut futurum delictum præcaveatur & impediatur, qui aliâs peccatis alienis communicare diceretur. *An vero, quatenus & quis & quæ commissa maleficia indicare & revelare teneatur, juridica quæstio est, quam late examinavi lib.1. Dicæolog. cap. De seductione. ex Anton. Gabriel. conclus. 37. lib.7. Farinac. quæst.51. de indi. & tortura. Menoch. cas. 355. arb. judic. quæst. & cas. 414. & 537. ex Theolog. probavi. vid. Jacob. c. 5. 9. 20. Genes. c.37.2.1. Cor. c.1.11. Matth. c.18 16.*

Sequitur de Jocis. Jocari quandoq; decorũ & civile est: sed in rebus gravibus jocari non licet, neq. in flagitiosis, obscænis, & impiis, neque cum intractabilib. & austeris hominibus. *vid. Gell. lib.4 c.20. Macrob. lib. 2. Saturnal.* Joci.

Joci autem subtiles & faceti esse debent, non longe repetiti, sed faciles & jucũdi, aliàs tędiosi & molesti. Cõmode igitur exerceri nõ possũt, nisi ab homine cauto acuta & promta sagaci-

tate ex improviso se exerente: & in peculiari quadam promtitudine, venustate & celeribus animi motibus consistunt. Ideo non conveniunt joci hominibus plebeis, stupidis & tardis, sed eis, qui possint, non qui velint jocari jocis venustis, urbanis, lepidis, facetis, elegantibus, subtilibus & salibus brevibus, qui exhilarant & suaviter recreant. Utendum enim joco tanquam somno & quietibus cæteris tum, cum gravib. seriisq; rebus satisfecerimus. *vide Plutarch. lib. Sympos. 2. problemat. 1. Macrob. lib. 7. Saturn. c. 3. Ergo salib. hisce cauté & artificiose utendum & tempestive sine molestia auditorum, ne fiant convicia, exagitationes vel scurrilitas. tales enim etiam præsentes malignitatis suæ contagio inficit, tanquam gaudentes aliorum contumelus.*

Jocis scurrilib. insulsum se fingere aut stultum, valde indecorum est. *Proverb. c. 24. 28. Plutarch. de liber. educ. Qui ita se comparant, ut hominibus, nullam honestatis rationem habentibus, voluptates cōcilient & placeant, ii mali & inciviles sunt.*

Fugienda itaq; hæc scurrilitas in jocis & dictis, qua inhonestis verbis, risum volumus excitare. quæ sunt ineptię sannionum. *Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 5. Macrob. lib. 7. Saturn. c. 3. & lib. 2. c. 2. & seqq.* Siquidem scurræ, undequaq; aucupantur ridicula & potius hoc student, ut risum moveant, quam ut acute quid dicant, imprimis qui in hoc loco tempori vel di-

dignitati cujusq; non parcunt, ſibiq; hanc licentiam ſumunt, neque in eo ſe peccare arbitrantur, ut quemlibet & quacunq; in re ludificent. Imo nonnunquam & ſemetipſos aliis ridiculos probris & irriſione dignos præbent. *ut ait Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 5. & c. 7. ubi χαριεντιστέον ὀ γελωτοποιητέον, id eſt, urbanè nobis lepideq; loquendum, non riſus movendus: uti hunc allegat & explicat doctiſſimus vir D. Stuck. libr. 3. c. 19. convivial. antiquit.*

Riſum quoq; comprimere, quandoq; præ ſe fert decorem & honeſtatem, *Clemens Alex. d. c. 5.* Neq; enim, inquit, apud quoslibet ridẽdum eſt, neq; omni in loco: ſed neq; omnibus, neque propter omnia. Maxime enim adoleſcentulis & mulieribus riſus eſt procliuis ad calumniam, & præſentibus odioſus. Unde Seneca: Miſcebis interdum ſeriis jocos, ſed temperatos ſine detrimẽto dignitatis & verecundię. *vid. Macrob. lib. 2. c. 1. & ſeqq. & libr. 7. c. 3. Saturn.* Jocis vel dicteriis uti convenit & alium amabili modo ludere, ſi error illius non ſit conjunctus ignominia, neque damnum ei ſit conjunctum, ut jocationes ab injuriis diſcernantur. *Vide Pſal. 35. 14. & ſeqq. Unde Seneca: Sales tui ſint ſine dente, joci ſine vilitate, riſus ſine cachinno, vox ſine clamore, inceſſus ſine tumultu.*

Joci igitur mordentes, aculeati & dentati ſermones omnino ſunt fugiendi. Sub his enim jocis injuriæ latẽt, *Prov. c. 17. 5. & d. Pſal. 35. 16. & ſeqq. Eccleſ. c. 22. 22. 28. Pſalm. 22. 7. 8. vide latius* Joh. *Guil. Stuck. libr. 3. c. 17. conv.*

antiq. Macrob.d.c 3.Plutarch. lib. 2 Problem. 1. quæ sunt σκῶμμα, λοιδορίαι, ψόγοι, διαβολαί. & tales φιλοσκώμμονες dicuntur, cavillandi cupidi: Macrob. lib. 7. Saturn. c. 3.

Joci & risus Sardonici fugiendi, qualis fuisse dicitur Caligulæ risus, plane crudelis & immanis, de quo *vide apud Sueton. in Caligula.*

Qui honestis nominibus in conviciando utuntur, vel res bonas per jocum nominibus probrosis afficiunt, laudant magis quàm vituperant. Elegans quoq; dicterium fit, quando vituperationi gratiarum actio adiicitur, ita ut non offendant, neq; lædant eos qui laudantur. Uti quando qui ex paupere factus dives à rege, dicit per insidias sibi otium & somnum esse ereptum *Plutarch. Symposiacôn lib. 2. quæst. 1. vide Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2. & seqq. & lib. 7. c. 3.*

Qui in eludendis & perferendis salibus & jocis dextri sunt, eleganterq; possunt salse dicta excipere, & lepidè eadem retorquere, gratiosi sunt. *vide exempla in Colloquiis Erasmi, & apud Macrob. d. lib. 2. c. 2. & seqq.*

Joci captati ex syllabarum permutatione, mordentes sæpe sunt, ut pro Decretum, Dreccetum, pro Virgilius, Vormilius, pro medicus, mendicus, merdicus, pro Polycarpus, Polycopros: Sic & quidam ex syllabarum quarũdam ellipsi joci mordentes, ut pro Casimirus irus. pro Marcus, arcus, pro vinosus, osus, pro sacerdotium, otium, pro Augustus, ustus, pro Musculus, culus. Nemo

Nemo etiam ut aliis placeat, seipsum vilem, abjectumve facere debet, aut insulsum & scurrilem se fingere, neq; personam ad peccādum suscipere. *Ecclesiast. c. 42.* 1. vel damno animæ suæ. *Ecclesiast. c. 4. 26. Nam stultus seipsum conturbat labiis suis. Proverb. c. 10. 8. 10. Fili mansuetudine compara gloriam animæ tuæ: & da honorem ei, prout digna est. nam eum qui peccat in animam suam; quis justum pronuntiabit? Et eum qui vitam suam afficit ignominia, quis ornet gloria? Eccles. c.* 10. 31. 32. *Fatuum igitur ne agito labiis tuis. Proverb. c.* 24. 28. *Clem. Alex. lib.* 2. *c.* 5. *de Pædag.*

Sequitur de irrisione. Ludibrio haberi & rideri nemo facilè debet, *Eccles. c.* 7. 10. Fiunt enim injuriæ ex ira & alia cupiditate. *Ecclesia. c. 8. 5. Psalm. 22. 7. 8. Matth. c. 27. 29. Psalm. 40. 16. & Psal. 41. 6. & 70. 4. 5. Nam quoslibet verbis exagitare & deridere irrisorum est & jurgia excitat. Proverb. c. 22. 10. vide Genes. c. 21. 9. Clem. Alex. d. lib. 2. c 7. De irrisione, ironia & subsannatione Eliæ in Baalitas extat* 1. *Reg. c. 18.* 17. *quæ non ex odio vel ultione proficiscebatur. sicut & Esa. c. 44. festiva idoli irrisio. & c. 46.* Irrisio.

Qui ludibrio alium habet, is ex despicientia, contemptu, defectu vel ignominia illius sibi voluptatē quærit & crabrones irritat, & futurus est peccator. *Prov. c. 14. 21. & ad iram provocat eum quem deridet, subsannat & illudit. maximè vero quando non ultionis, neq; alicujus utilitatis gratia ludit, aut eas res cōtemnit, in qui-*

bus alius magnam operam & studium posuit, & in quibus excellere se putat. Spernente vero proximum suum demente, vir prudentissimus, surdum agit. Prov. c. 11. 12. *13. Ideo Seneca alibi, Nullius impudentiam despicias, Iohann. c. 9. 34. Dixerunt ei, tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? & ejecerunt eum foras.*

Qui ludit alium, ex errore admisso, ejusdem non tam voluptatem, quam recreationē percipit, licèt is qui luditur, sæpe pro probro habeat & indignetur, qui aliàs cavillatores faceti & jucundi dicuntur. *Eccles. c. 19.*

Communicatio eorum quę objiciuntur dicteria, facit tolerabiliora, ut cum in paupertatem pauper, in ignobilitatē ignobilis; in amatorem amator aliquid jacit. Scommata etiam facile negligit is qui cōpertum habet notorium esse sibi injuriam fieri. *vid. Macrob. libri 7. c. 3. Saturnal.*

Homines derisores inflammant urbem, at sapientes avertunt iram. *Proverb. c. 29. 8. Et quousque derisores derisionem sibi desiderabunt? Proverb. c.* 1. 22. *Deus enim derisores deridet. Proverb. c. 3. 34. & punit. Eccles. c. 7. 10. et si sapias, sapies tibi: sin derisor eris, solus reportabis. Proverb. c. 9.* 12. *Eccles. c. 6.* 2. *Testis nequam deridet jus, sed parata sunt in istos derisores judicia & contusiones tergo stolidorum, Prov. c. 19. 28. 29.*

Neque vitia verbis, vel gestu aut imitatione alii exprobrare, vel cum risu & exultatione de iis nobis gratulari, & libenter alios rubore suf-

suffundere debemus. *Eccles. c. 8. 6. 7. 8. vid 1. Cor. cap. 13. 4. 4. 5. 6. 7.* Vel quicquam loquendum quod alteri pudorem, vel pudoris aut existimationis læsæ imaginationem excitare possit. quod facilius fieri potest apud eos, quos alius admiratur & observat; aut apud quos in admiratione esse cupit, aut apud eos, cum quibus de honore contendit.

Sermo profectus ex fatuitate excusandus, aut cooperiendus, vel dissimulandus, quatenus bona fide & conscientia fieri potest. *Proverb. cap. 19. 8. 1. Samuel. c. 3. 38. c. 16. 10. Nam qui tegit defectionem, quærit dilectionem, Proverb. c. 17. 9. 10 c. 10. 12. vid. 1. Corinth. cap. 13. 4. 5. 6. Charitas non cogitat malum, 7. Omnia credit, omnia sperat. Aut ex συμπαθείᾳ corrigendus proximus, Levit. c. 19. 7.*

Sequitur de exprobratione, quę civilis quãdoq; ex monentis officio ob ingratitudinẽ, vel maleficiũ. Quod si vero quis in narratione erratum, vel falsum aspersit, vel beneficium aliquod præstitit, non verbis hoc illi exprobrandum, quod acrimoniam & acerbitatem naturæ rusticæ & asperæ indicat, quæ illos exprobrantes in mutua sermonũm & officiorum communicatione ita odiosos reddit, ut quilibet eos aversetur. *Eccles. c. 8. 6. 7.* cum contrá, dilectionem quærere dicatur, qui tegit defectionem; qui vero rem renovat, disjungit ducem. *Proverb. c. 17. 9. vid. 1. Corinth. c. 13. 4. & seqq. 2. Pet. c. 1. 6. 7. & rectè Cato:* exprobratio.

Alterius dictum aut factum ne carpseris unquam:
Exemplo simili ne te derideat alter.

Beneficia præstita nemini exprobranda. *Ecclesiastic. c. 18. 19. c. 20. 14. Postquam dederis, ne exprobrato. c. 41. 28.* neque prædicanda apud alios, sed potius celanda. Id enim cum fit, intelligitur ejus solùmodo gratia factum esse, nullamque ob aliam causam. Nam præclaras sæpe gratias corrumpit, quæ ex ingenii vanitate nascitur, beneficiorum commemoratio. *Cicero de amicit.* Officia meminisse debet is in quem collata sunt, non commemorare qui contulit. *Senec. lib. 2 De benefic. c. 11. Qui dedit beneficiũ, taceat; narret qui accepit, & lib. 1. c. 2 Beneficia in vulgus non effundenda. Nam qui beneficia se dedisse dicit, petit, ut Mimus ait: Exprobrationis maligna exempla vid. 1. Sam. c. 1. 6. 14. Matth. c. 27. 42. Joh. c. 9. 34. 1. Sam. c. 25. 10. 11. 12. Isocrates ad Demonic. Cave cuiquam calamitatem exprobres. Considerans (ut Paulus ait) teipsum ne & tu tenteris.*

Neq; exprobrandæ veteres injuriæ, neque crimina commissa recolenda sunt, sed placabilem & mansuetum esse convenit. Qualis enim quis erga alium esse apparet, talis quoq; in nos futurus esse existimatur.

Inprimis vero indecorum, exprobrare alteri, qui & tibi par reponere potest. ut, si gibboso cuidam oculorum imbecillitatem exprobrãti respondeatur, humanum vitium & infortunium

nium mihi exprobras, cum ipse Nemesin in dorso gestes. *vide Plutarch. De capiend. ex inimic. utilit. ubi exemplis hoc ipsum illustrat. inprimis illo, quod Domitius Crasso objecit, dicens, Nonne tu ob mortem murenæ, quæ in vivario tuo alebatur, plorasti? cui Crassus: nonne tu absque ullis lacrymis tres tuas uxores extulisti? Hinc illud,* Qui dicit quod vult, etiam audiet, quod non vult. Qui quæ vult, dicit; quæ non vult, audiet ipse.

Sequitur de censura. Judicare quidem de aliorum factis decorum & civile, si id juste fiat, ex necessitate publ[illegible] officii, at privati illi censores importuni ju[illegible] gidæ censuræ in alios sibi usurpantes gravius judicium accipiunt. *Jacob. d. c. 3. 1. c. 4. 1. Matth. c. 7. 1. 2. & seqq. 1. Cor. c. 4. 3. Eccles. c. 11. 7.* Tales, inquam, sunt qui de aliis exacte judicandi quāti precii & æstimationis sint sibi censoriam sumunt potestatem. *vid. exemplum Actor. c. 28. 4. 1. Sam. c. 17. 28. Actor. c. 2. 13. 14. 15. 1. Sam. c. 1. 13. vid. Petr. Martyr. 1. Cor. c. 4 5.* **Censura.**

Addo, quod qui promptus & cupidus est aliorum defectus vel errata corrigere, aut reprehendere (quod ludimagistris & parentib. relinquendum, & magistratui. *Matth. c. 12. 27. 41. 42.*) arrogantiam sapientiæ & dominationis suæ demonstrant, præsertim illi qui lolium ex alienis agris evellere volūt, & proprios sentibus & urticis totos occupari sinunt. *Matth. d. c. 7. Roman. c. 2. 1. 2. 3. 4. 1. Cor. c. 4. 3. 4. 5. 6.*

Jacob. c. 3.1. 2. Unde fit ut qui adsunt; de talibus censoribus pejus existiment. Ergo dum alienam existimationẽ minuere volunt, in damnum & periculum propria incidunt. Contra in vita communi & quotidiana consuetudine suaves & jucundi sunt faciles, neq; proclives ad redarguendum peccata & errores, non contentiosi aut litigiosi. Omnes enim ejusmodi sunt pugnaces. Ideoq; videtur velle contraria: quod cum amicitia unicé pugnat. Ad omnia igitur verba ne adhibeto animũ tuum, sed dissimula lege charitatis & prudentiæ. Ecclesiast. c.7.21. arg. Galat. c.6.1. 1. Sam. c. 10.27. c.11.13. Jacob. c.3.1. & Coloss. c. 3. 13. Tolerantes alii alios & condonantes vobis mutuo. Ephes. c. 4. 32. Estote alii in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuo offensas, & 1. Cor. c.13.4. & seqq. & 1. Petr. c.4.8. Ecclesiast. c. 19. 13. Argue amicum ne quando fecerit: Et, si fecerit, ne quando pergat, 14. Argue proximum, ne quando dixerit, & si dixerit, ut non repetat, 15. Argue amicum, nã sæpe existit vana calumnia, et ne cuivis sermoni credito animus tuus. Nam qui facile credit, facile decipitur & levis esse judicatur.

Sunt autem tria potissimũ, de quib. omnino non judicare concessum est. Primum, de arcanis divinæ providentiæ & prædestinationis & Dei cõsiliis, *Rom. c. 9.* Secundum est, sacra Scriptura, quam non debemus ideo legere, ut ibi aliquid condemnemus, aut ad nostrũ sensum & affectum torqueamus. Tertiũ est, de hominibus extra ecclesiã constitutis; quos non statuemus deploratę salutis esse.

Sunt etiam quædã quæ tam bono, quã malo animo fieri possunt, hęc non oportet in malam partem accipere in dubio. Sunt alia quæ bono animo fieri nõ possunt, ut adulteria, homicidia: in his de autore non malè judicãdum, qui mutari non possit, & bonus fieri.

Qui controversias sua sententia finire & unicuique legem præscribere vult, odiosus est. *Ecclesiastic. c. 20. 6. & cerebrosus seu αὐθάδης, qui nihil non præ se fastidit, uti supra ex Proverb. c. 18. 1. 2. 3. c. 28. 25. 26. Eccles. c. 6. 2.*

Qui in aliorum præsentia expostulationibus alios objurgant, vel castigant, insolescentes & tyranni videntur: sic etiam qui proprios ministros conviciis & reprehensionibus aliis præsentibus exagitant, argumentum superbiæ & dominationis de se præbent. *Seneca De moribus: Qui in servos irascitur & crudelis est, satis ostendit potestatem adversus alienos sibi deesse.*

Sequitur de contentione: quę pro veritate licita & civilis est, sed tamen non temerè, imprudenter & quocunq; in loco & tempore fieri debet. Nam qui hasce circumstantias non observat merito contentiosus & rixosus, in disputationes & altercationes temerarias pronus, qui quocunque in loco, quoscunque inter homines, de rebus etiam difficilimis, aut non necessariis, argutissime disputare contendit, quique omne suum studium ponit in carpendis & reprehendendis aliis, & Contentio.

nulla de caussa quemlibet adoriuntur. *De contentiosis talibus, vide 1. Timoth. c. 6. 4. Insaniens circa quaestiones ac verborum pugnas; ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentia, suspiciones malae, versic. 20. Aversare illos profanos de rebus inanibus clamores & oppositiones falso nominatae scientiae, & c. 5. 13. Nam sermones stolidi ineunt contentiones & os ejus cōtentiones advocat & contritionem sibi ipsi, Proverb. c. 28. 6. 7. Philip. c. 2. 3. Nihil gerentes per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia alius alium se praestantiorē existimans. ad Tit. c. 3. 9. Stultas quaestiones, genealogias, contentiones & pugnas legales cohibe. Sunt enim inutiles & vanae. 1. Timoth. c. 1. 7. & seqq. c. 4. 4. 2. Timoth. c. 2. 11. & Proverb. c. 13. 10. Mera superbia animo ferociente & inconsulto vir edit jurgium, at consultus cavet sibi ab accendendis, inflammandis & fovendis jurgiis, Ecclesi. c. 28. 20. & seqq. & Psalm. 12. 4. Exscindet Jehova linguā grandiloquentem. 5. Eos qui dicunt lingua nostra jus obtinemus, labia nostra penes nos sunt, quis esset dominus nobis? Ut deficientibus lignis extinguitur ignis, ita cum non est susurro, silet contentio. Proverb. c. 26. 20. & diligit defectionem qui diligit jurgia. Proverb. c. 17. 14. 19. nam susurro contentiones excitat & odiosus est, Ecclesi. c. 20 20. c. 21. 31. c. 28. 10. 13. 15. 16. Proverb. c. 18. 8. c. 26. 20. & seqq. quibus adde Galat. c. 5. 19. 20. Ephes. c. 4. 31.*

Susurro est qui apud eos quorū perniciem machinatur sese suis verbis abjicit, & contendit

dit ut abjectissimus videatur ad tegendas fraudas suas & fidem conciliandam, *Proverb. c. 18. 8. 9. ubi Junius. Psalm. 10. 10. & 35. 16. & seqq. Eccles. c. 5. 16. c. 27. 25. c. 28. 14. & seqq.* Nam proprium est viri perversitatibus dediti, ut immittat contentiones, & susurro & emissarius explorator dissidia excitat. *Proverb. c. 16. 28. Verba enim susurronis similia sunt verbis eorum, qui saepe contusi sunt, tamen ea descendunt in penetralia ventris. Prov. c. 26. 22. Prehendit autem aures canis qui transiens furentem agit in lite non sua. Proverb. c. 26. 17. Ideoque litibus & rixis imprimis supersedendum. Proverb c. 20. 3. c. 26. 20. 21. 22. potissimum vero cum potentiore rixosove adversario. Eccles. c. 8. 1. 2. 15. c. 13. 1. 2. 3. & seqq. c. 9. 22. ut peccatorum occasio pracidatur. Proverb. c. 25. 8. 9. & seqq. Ecclesiastic. c. 28. 10. 11.*

De re vero quae non attinet te, ne liriges vel contendas. *Ecclesiastic. cap. 11. vers. 9. cap. 27. vers. 28.*

Quibus de rebus libere te proloqui pudet, visque cum amicis aliquibus de eis communicare, verbis veluti de alieno negotio utere: Sic enim & illorum sententiam nosces, teque ipsum haudquaquam manifestum reddes.

CAP. IV.

Cum quibus personis & quibus verbis sermo habendus.

HActenus de rebus, de quibus decoré sermo instituitur, vel silentio temperatur. Sequitur ad quas personas & quibus verbis sermo habendus

Cum illis autem loquendum, quibus ex officio teneris, vel quibus cum conversari necessitas, vel utilitas tua, vel alterius te urget.

Alloquium autem hoc quod cum aliis instituitur, est vel Affabilitas, vel commercium & collatio humana, benigna & suavis.

Affabilitate & comitate erga quosvis suaves & humani esse debemus, aliis in congressu, vel digressione verbis benignis & humanis bene precantes & bene dicentes, felicia & fausta precantes in accessu & discessu. *Si enim Dei jussu pro nobis invicē precari debemus, & cū gaudentib. gaudere & cum flentibus flere, Rom c.12. 15. certe etiam nos mutuo salutare convenit, sicuti Christus, Apostoli & sancti viri fecerunt. Si quidē fausta et felix precatio non postremū charitatis erga proximū officiū. Ideo August serm.42. De sanctis ait, si quis obvium hominem sibi non salutarit, aut salutanti non reddiderit salutem, à viatore nō habebitur homo, sed trūcus, lapis, aut Mercurius, qui stans in via monstrat iter & nihil loquitur. & Christus Matth.c.5.44. Si tātum salutaveritis eos qui salutant vos, quā mercedem habebitis? nonne publi-*

publicani hoc faciũt? Isocrates ad Demonic Comitatis est, ait, benigne obvios appellare: affabilitatis familiariter cũ ipsis verba cõmunicare. Benignum te cunctis prabeas, optimis autem utaris. Sic & illis inimicus non eris & istis amicus fies. & Cicer. De legib. Difficile dictu est, ait, quantopere conciliet animos hominũ comitas affabilitasq; sermonis. qua curatur invidia & suspicio, atq; ira animis hominum eximitur.

Hęc humana, benigna & suavis affabilitas p̃cipitur erga omnes, adeò ut etiã inimicos nostros salutare jubeamur, *Matt.c.5.* nisi ob festinationẽ vel alia graviora impedimẽta non possimus. *Luc.c.10.2. Reg.c 4.29 ubi Pet. Mart. neq; ave dicendũ excõmunicatis, ut* Joh. *ait. De hac* εὐλογίᾳ *& affabilitate passim quoq; alibi pracipitur, uti 2. Tim.c.3.2. omnem exhibentes lenitatẽ erga quosvis homines, 1. Cor.c.13. 4.5.6 Caritas patiẽs est, comis est, i.e. facilis ad cõgressũ & collocutionẽ.*

Absit ergo hìc contemtus, despicientia, incommodatio, contumelia, ἐπηρεασμὸς, studium alteri adversandi, ejusque conatus sine ulla cõmodi spe impediendi. Sunt .n. hæc τῆς ὀλιγωρίας indicia. *Adde ad Rom. c.12. 10. Fraterna charitate alii ad alios amãdos propensi, honore alii aliis praeuntes, Colos. c.3.12. Induimini igitur, ut electi Dei sancti et dilecti, visceribus. miserationum, comitate, modestia, mãsuetudine, lenitate animi, 13 tolerãtes alii alios, &c. Senec. alibi: Cũctis esto benignus, nemini blãdus, paucis familiaris, omnib. æquus, 1. Pet. c. 3.8. deniq; omnes estote cõcordes mutuo molestiarũ*

sensu affecti, fraterna praediti charitate, ad misericordiam proni, comes, &c. 1. Pet. c. 5. 14. Salutate alii alios charitatis osculo. Rom. c. 16. 16. Salutate alii alios osculo sancto. Eccles. c. 4. 7. amicum te exhibe congregationi. Exemplum hujus humanitatis extat in Josepho fratres suos perterritos humanissimis verbis alloquente. Genes. c. 45. & Labano Abrahami servum hospitio excipienti. Genes. c. 24. & in Abigaele. 1. Sam. c. 25. adde praecepta moralia Proverb. c. 15. & responsione molli, &c. 25.

Fieri autem debet hæc affabilitas eo modo quo usitatum est in loco, in quo cõmoramur, idque in salutando, compellando, excipiendo, valedicendo, vel dimittendo, *cujus rei exempla vide Exod. c. 18. 7. Ruth. c. 2. 4. 1. Sam. c. 25. 4. & seqq. sic & Angelus Mariam salutans dicit, Dominus tecum & Gideonem, & Christus discipulos, Pax vobis, & Judas Christum, Ave Rabbi. sic itaq; erga alios nos decet esse jucundos & quasi domesticos & familiares, ut cum iis colloqui, ipsis respondere vel eos interrogare, si res postulat, non detrectemus: atq; hæc omnia blande & suaviter, Eccles. c. 4. 7. 8. Hoc est, (ut scriptura loquitur) ad cor. arg. Genes. c. 34. 3. c. 50. 21. Judic. c. 19. 3. Ruth. c. 2. 13. 2. Sam. c. 19. 7. Esa. c. 40. 2. Osea c. 1. 14. c. 2. 14. ut inde appareat & eluceat charitas, humanitas & benevolentia salutantium, quibus contraria morositas, fastus, inhumanitas & contemptus.*

Veteres salutationis ergô suos nomenclatores habuisse

buisse leguntur. Alex. ab Alex. genial. dier. lib. 2. c. 19. de meritoria salutatione Roman. vid. Senecam De vita brevit. & de salutatione per formulam ave, Senec. lib. 6. De benefic. & de iis qui salutandi causa domos introeunt, lib. 12. epist. 85. & in sapient. non cad. injur. Fiebat quoq; apud hoste Romanos salutatio more prisco, dexteram dextera jungendo, nonnunquam osculo, plerunque adsurgendo, caputq; denudando, ut refert Alex. ab Alexand. lib. 5. gen. dier. c. 24. ubi addit, non foris tantum, sed & intra domesticos lares libertos servosq; salutatores comperimus, quibus in die frequentes adorant, ut manè salvere & vesperi valere domino aut patrono dicerent. Salutatio fieri solet nominib. & titulis honorificis, vel certis verborum formulis & phrasibus. Stuck. lib. 2. c. 31. antiquit. convivial. Exempla salutationis ejusque formulas apud Judaeos usitatas vid. 1. Sam. c. 10. 4. Ruth. c. 2. 4. 10. Exod. c. 18. 7. 1. Sam. c. 25. 23. 24. 2. Sam. c. 9. 6. c. 14. 22. 33. 2. Reg. c. 4. 23. 29. ubi Pet. Martyr. Matth. c. 28. 9. 10. 11. Act. c. 21. 7. 18. 19. c. 25. 13. 2. Corinth. c. 13. 12. Philip. c. 4. 12. Patres veteres ex hac vita discessuri salutem suis dixerunt, uti Moses Israelitis, Jacobus liberis suis, & Isaac. Imo & salutationes gratulatorias de parta victoria, de reditu, de abitu, de officio suscepto & similibus, dicebant, ut Martyr d. loco refert. Rom. c. 16. per tot. Salutatio & bene precatio quaedam solemnis apud Judaeos in coetibus sacris & concionib. usitata erat, & praescripta extat Num. c. 6. Benedicat tibi Dominus, custodiat te,

illuminet faciem suam super te & misereatur tui. Levet Dominus faciem suam super te & ponat te in pace. De modo & formulis salutandi Apostolis usitatis in epistolis, vid. in princip. & fine epistolarum Apostolicarum, & Christus formulam salutandi suis discipulis præscribit. Matt. c. 10. 11. & c. 5. De formula salutandi apud Græcos usitata. refert Stuckius d. loco, c. 31 scil. χαίρειν, εὐπράττειν, εὖ ἄγειν, ὑγιαίνειν. *Apud Latinos erāt Ave, qua formula mane utebātur, et salve, qua vesperi, et vale in digressionib.* Unoq; *vale & salve utebātur discedentes ab iis quos nunquam visuri essent. Plaut. in Curcul.*

— vale atq; salve

Nam & operam & pecuniā benigne præbuisti. Et in Cistellaria: Quando ita tibi lubet, vale atq; salve. & in Mercat. & in Captivis. & Virgilius alibi, lib. 11. & lib. 6. Hodie apud nos variæ formulæ salutandi usurpātur, quæ secūdū hominū congressum, vel digressum, vel secūdum tempora, secundū varias actiones, illarumq; eventum, vel secundū, vel adversus alias deniq; circumstātias distingui possunt. Gott grüsse dich/ Willkommen/ Gott behüte dich/ein gutẽ morgen/guten tag/guten abend/gute nacht. Gott gebe dir ein gut glückhafftig jar/ Gott beleite dich/ Gott gebe daß wir wider mit freuden zusamen kommen/ Biß Gott willkom̃/ Gott segne dir das bad/dẽ trunck/ Gott helffe euch/ Gott gebe dir vil glücks/ Gott gesegne dz essen/ Gott tröste dich vñ stercke dich/ ꝛc. *similes.*

Cōmercium & collatio sermonis cū iis esse debet, quorū conversatio te meliorem, nō deterio-

teriorem reddere poteſt. *De qua re Senec. lib. 14. epiſt. 93. Nulla res, inquit, magis animos honeſtate induit, dubiosq; & in pravum inclinantes revocat ad rectũ, quã bonorũ virorũ converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora & vim praeceptorum obtinet frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus ipſe ſapientium juvat. Eſt & aliquid quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim quemadmodũ proſit, ſicut illud intelligam, profuiſſe. Minuta quaedam ut ait Phaedon animalia, cum mordent non ſentiuntur, adeò tenuis illis et valens in periculum vis eſt, tumor indicat morſum, & in ipſo tumore nullũ vulnus apparet. Idem tibi in converſatione virorum ſapientum eveniet, non deprehendes quemadmodũ, aut quando tibi proſit: profuiſſe deprehẽdes, & lib. 19. epiſt. 110 Nam ut aromata longe lateq; odorẽ emittunt ſi teras: ſic boni virtute praediti, ſi illis utaris in converſatione: contra malignus comes, quàmvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricat. Senec. lib. 1. epiſt. 7. & mores à converſantib. ſumuntur. Idem lib. 3. De ira, c. 7. & colloquia prava corrumpũt bonos mores, 1. Cor. c. 1. Prov. c. 13. 20. Qui ambulat cũ ſapientib. ſapientior fiet, qui vero ſe conſociat ſtolidis, efficietur pejor, Eccleſ. c. 11. Ne quemvis hominem inducas in domum tuam. nam multae ſunt inſidiae Diaboli, & verſ. ſeqq. & c. 9. per tot. Eccleſiaſtic. c. 9. 19. Pro viribus tuis conjecturam fac de altero & cum ſapientibus ini conſilia: cum intelligentib. eſto cõfabulatio tua, et tota narratio tua de lege altiſſimi, 20. Viri juſti ſunto convictores tui & in reverẽtia Domini eſto gloriatio*

tua. latè Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. c. 4. Videndum tamen ut hæc conversatio sit temperata, non nimia neq; rara. Ibi enim rerum & conversationis est satietas, hic vero ignoti nulla cupido neq; delectatio. Temperata conversatio amorem conciliat. Siquidem amamus eos qui se aliquo modo studiose & cum quadam animi propensione erga nos gerunt & nostra consuetudine delectantur, & nostri æmuli & imitatores esse volunt.

Ethicus ergo cum bonis & virtute præditis colloqui & sermonem habere debet, cum malis vero & nequam hominibus, quantum ratione officii & conscientiæ licet, sermones cōferre & colloqui non debet. *Est enim delicti species conversari cum malis, vel eorum consortio uti. Psalm. 26. 4. 5. & Psalm. 1. & 50. 18. Prover. c. 16. 15. 16. 17. Nam talis quis judicatur qualis est ille cum quo conversatur. Similis .n. simili gaudet. Ecclesiastic. c. 13. 1. 18. 19. 20. 21. c. 9. 19. 20. Et qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Eccles. c. 13. 1. 2. 1. Cor. c. 5. Ex quo argumento Judæi de Christo judicabant, Matth. c. 9. 9. 10. 11. 12.*

Quibus vero conditionibus & cautionibus liceat cum infidelibus conversari, vel eorum consortio & familiaritate uti, docet *Pet. Martyr. Judic. c. 1. vers. 36.* ubi distinguit inter homines privatos, eruditos, cōstantes, indoctos, infirmos, & Magistratus.

Privatus doctus & constans cum infidelib. licitè conversatur. Primò, quando id facit quo alienos à pietate doceat & ad religionem synceram

ceram inducat. quod quo commodius faciat, cõvenit esse blandum, comem, benignum erga eos, quos Christo lucrifacere vult.

Deinde videndum est, inquit, ut sancte, juste & honeste vivat, ne quod una manu extruit, id altera destruat.

Tertio, ne prætextu comitatis cujusdam & amicitiæ sese impiis ritibus & actionibus immisceat. Nõ enim sunt mala facienda, ut bona eveniant.

Quarto, ne sua caussa, vel ne sua quærat cõmoda, dum cum eis versatur, atque sua compendia sectetur.

Quod si desperatio subsit in hisce, tum non cum infidelibus amplius agendum, nisi quantum necessitas vel nostra, vel eorum postulat, id est, quando forte ipsi infideles laborarent gravissime, nec eis aliunde quam opera nostra posset subveniri; aut si nos ipsi, quæ ad victum necessaria sunt alibi, quam apud eos nancisci non valeremus. Conversari quoque cum illis licebit, quantum naturales & civiles necessitudines exigunt, ut si nostri principes fuerint, patres, coniuges, heri, domini, & similia horum. Nam qui suorum præsertim domesticorum curam non habet, fidem, Apostolo testante, abnegavit & infideli deterior. Et servi etiam duris & impiis dominis obedire jubentur à Petro. Et uxor fidelis, infidelem maritum non deserere, sed cohabitare illi jubetur. *1. Cor. c. 7.*

Priores distinctiones idem Martyr testimoniis & exemplis probat. Ita enim Christus cum publicanis, peccatoribus & Pharisæis & Scribis versabatur, ut eos de salute institueret & à peccatis ad pietatem converteret. Ita prophetæ cum populo idololatra unà versabatur, & Apostoli inter Ethnicos & Paulus cū Atheniensibus, Abrahā ex jussu Dei inter Ethnicos.

Homines infirmi & indocti non debent unà cum infidelibus agere, nisi quantum patitur necessitas corporis, & necessitudo civilis. Illud vero, 1. *Corinth. cap.* 10. 27. Quod si quis infidelium vos vocat & vultis ire, quidquid apponitur vobis, edite, &c. intelligendum cęteris paribus.

In aliis omnino infideliū commerciū & familiaritas est fugienda. *vid. Matth. c.* 5. *c.* 18. Ita .n. accipitur ibidem de abjiciendis iis quæ nobis offendiculo aut impedimento sunt. Ita quoq; Paul. 1. *Corinth. c.* 5. Ne paululum fermenti totam massam polluat, *& ibid. c.* 15. ne mores bonos colloquia prava corrūpant, ne qui tangit picē ab ea inquinetur, & supra vires onus suscipiamus, *Eccles. c.* 13. *adde* 2. *Cor. c.* 6. *Matth. c.* 5. 18. 1. *Cor. c.* 15. 33. 34. *c.* 5. 9. 10. 11. *Psalm.* 43. 63. 84. *Rom. c.* 12. *Hoc etiam exemplis Israelitarum, qui* 70. *annos in Babylone captivi fuerunt & infecti probatur, uti licet videre ex Hesra, Nehemia, Zacharia. Iidem etiam ex commercio Ægyptiorum et aliorum vitia contraxerunt, ut constat ex gestis Exod. c.* 32. *& Num. c.* 22. *Matth. c.* 26. 58. 59. 70.

& seqq. Esa. c.6,5. Quid, quod impari jugo copulari cum infidelibus prohibeatur? 2. Cor. c.6. 14. 15.16. Quæ .n. communio luci cũ tenebris? & qui cõsensus Christo cũ Belial? Ideo Deus prohibuit ne ab exteris regionibus et infidelibus Judæis *auxiliũ peterẽt, vel fœdus facerent. Ideo* Judæi *cum Samaritanis cõmerciũ habere nolebãt,* Joh. *c.4. & Moses aulã Pharaonis fugit, Heb. c.11. Et David cõqueritur in Psalmis quod cogatur degere cum impiis.*

Indistinctè oẽs docti, indocti, fortes, imbecilles cũ infidelib. cõversari non debẽt, quãdo cogũtur impiis eorũ ritib. & actionib. interesse. *1. Cor. c.10. 20.21.22.* Plane in reb. adiaphoris licet se fratris infirmitati adcõmodare, 1. *Cor. c.8. uti Paulus dicit, se omnia factum omnibus ut complures lucrifaceret Christo, vid. Pet. Martyr. Judic. d.c.1.36.* U*rsinum lib.2. Disposit.*111. *& seq.*

Cum insipiente ne habeas sermonẽ multum, neque ambules cum eo qui caret intelligentia. *Prov. c.23.9. Ecclesi. c.* 22.13 cave potius ab illo ut molestiam non habeas & quisquiliis ejus inquineris. 14. *& seqq.* sed cum intelligentibus sit confabulatio tua. *Ecclesiast. c. 9.* 19.

Neque cuivis homini exponas animum tuum. *Ecclesi. c.* 8. 22. & consiliarii tui pauci sint, unus é millenis. *c. 6. 6.* non tamen stultus & iracundus. *Eccles. c.* 8. *20. 21.* Qui verò non in consilium adhibendi, *vid. Proverb. c.* 37. 11. *& seqq. & c.* 22.17. *& seqq. c.* 23.19.12. *c. 20. 19. ubi Jun. Eccl. c.9.19.20. c. 8.9.10.11.* & quod facturus es ne prædixeris. frustratus .n. spe, irrideberis,

fortunium tuum celato, ne gaudio afficias inimicos.

Arcana vero nemini dicas, *Plutarch. de garr.* Nam, inquit, si sermonem nesciri oportebat, malé dictus est ad alium, sin veró secretum ex te emissum, contines in alio, inalienam fidem profugisti, tuâ proditâ. Et, si tui similis is fuerit, justé peristi: si vero melior te quum sit, id præter spem servet, alium invenisti super te fideliorem. Prolem vero ac multiplicationem accipit intemperantiæ sermo. Ut enim unitas suum terminum excedit, quando accedit alius numerus, ita & sermo in primo remanens, vere arcanus est, si vero in alterum egreditur, instar famę est, & volat irrevocabile verbum. Clausula garrulitatis communis est, *Nemini dixeris.* Quod si vero tibi imperare nō potuisti in silētio, quomodo ab alio id ipsum sperare potes? Amore tamen videntur prosequendi qui nihil secum fingunt, nihil obtegunt; quales sunt qui etiam res suas adversas & miserias nobis aperiunt. *Arist. lib. 2. Rhetor.*

Cum iracūdis non pugnandū vel contendendum.

Facile vero ad iram commoveri existimandi ii, qui dolore aut ægritudine aliqua laborāt. Cum enim omnes dolore affecti aliquid concupiscant, facile quoque commoveri possunt in eos qui ipsorum desideriis videntur obstare. Ideoque ad iram proni, ægroti, pauperes, amantes, sitientes, aliquid concupiscentes, voti non compotes, aut frustrati exspectato

rei

rei eventu. Pro varietate autem insiti πάθυς etiam ira ut plurimum variatur. *vid. Aristot. 2. Rhetoric.*

Non est quoque facile admittendus in colloquium ἐξαγγελτικός, qui ea quę videt audit ... eliminat & multis enunciat: qui diligenter intentus est, curiosus & solicitus, ut maculam aliquam aliis aspergat.

Neque etiam is qui in aliorum erratis exagitandis & enunciandis totus occupatur, ut est subsannator, scriptor comœdiarũ & qui χαμματοφυλάκιον colligit alienorum vitiorum, *vid. Horat. lib. 1. Serm. satyr. 4.*

Omnes hi metuunt, versus odere poetas,
Fœnum habet in cornu; longè fuge, dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et quodcunque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet à furno redeuntes scire lacuque
Et pueros & anus, &c.

Non pugnandum etiam cum homine verboso, *Eccles. c. 8. 20.* 22. neque potentiore. *d. c. 8.* 1. 2. 3. 15. 17. neque audace, impudenti & iracundo, *d. c. 8.* 18. *19.* & carenti intelligentia. *Eccles. c.* 27. 12. neque plurimum jurante. *d. c. 27.* 13. *14.* neque stulto. *Eccles. d. c.* 8. 20. 22. *Proverb. c. 23. 9.* qui omnia tua nihili facturus est, *Eccles. c. 2. 13. 14. c. 27. 12. Prov. d. c. 23. 9.* neq; cũ dissimulatoribus, simulatoribus, callidis & vafris, neque etiam cũ observatore tuo & corycæo. *Eccles. c.* 37. 7. *11.* neque cum susurro-

E 3

ne & bilingue. *Ecclesiastic. cap. 28. vers. 15. 16.* neque cum inimicis tuis. *Ecclesiastic. cap. 6. vers. 13.* Neque cum homine duro, malis actionibus dedito & nequam. 1. *Samuel. c. 25. 3. sed vir illius erat durus & malis actionibus deditus. & vers. 17. ipse autem nequior est quam ut alloquar eum. & vers. 9. 10. 11. 12. Neque vis adferenda defluxioni fluminis. Ecclesiastic. cap. 4. 32. Vel in turbam se immittendum. Ecclesiastic. cap. 7. 7.*

Contentioso & rixoso ita respondendum, ut prudentia locum det temeritati, & obsecundet stulto contentioso, ut contentionis finis fiat. *Ecclesiast. cap. 28. vers. 10. 11. & seqq. 1. Samuel. cap. 25. vers. 9. 10. 11. 12. 17. Seneca: Requirenti facile responde: & contemnenti facile cede. & magnanimi est injurias & offensiones despicere.*

Adulatoribus respondendum cum protestatione ut taceant: te, cum laude opus sit, temetipsum laudaturum, cum hac vel simili forma: Non scio quid cum tuis laudibus agam. Si enim rejicio te, adulatorem arguo; sin recipio, me inanis gloriæ cupidum ostendo.

Affici veró & commoveri laude improborum, est instar suum se gerere; qui, dum fricantur & titillantur, se ipsos præbent uti volenti.

Quod si sunt qui alios irrident, tacendum nobis

nobis est & superflua verba tanquam plena pocula à nobis transmittenda. Lubricus enim & periculosus est ejusmodi ludus. *Clemens Alexandrin. libro secundo Pædagog. cap. septimo.*

Inanem auditionem non suscipies. Neque unà cum injusto sedebis, vel communicabis, ut sis falsus testis, neque in calumniis neque in maledictis, sed neque in improbitate. *Clemens Alexandrin. dicto lib. secundo, cap. septimo.*

Consilia sua non requisita præter officium & vocationem suam obtrudere, est hominis stulti, vani & superbi.

Ne contendito cum ullo homine immerito. Proverbior. cap. 3. 30. *& sermo intelligentiæ ingratus est stulto. Proverbior. cap.* 17. 7. *Malignos ne æmulator, neque desiderato cum eis esse. Proverbior. cap. 24.1.2. Neque cum irrisoribus conferendum. Proverb. d. cap. 24. vers. 9. & Psalm. 101. Sed ejiciendi illi, & contentio cessabit. Proverb. cap.* 22. 10. *neque cum ludibrio & vilipendio quod sanctum, porcis projiciendum, Matth. c. 7.6.*

Homo peccator declinat redargutionem, & pro voluntate sua invenit judicia sibi convenientia, & quærit homines qui adblandiuntur sua nequitia, Ecclesiastic. c. 32.20.

Apud senes & honoratiores ne multa dicas. *Eccles. c. 32.* 12.*c.7.*13. Sed eos attende, *c. 6.34.* 35.*cap.* 8.*9.* 10.*11.12.* & ab illis disce, quomodo

magnatibus ministrare debeas, & tempore necessitatis respondere, *Eccles. c. 8. 9. 10. 11. 12.*

Cũ hæreticis aliisq; atheis hominib. & profanis sermo habendus illi, cui hoc ratione officii incumbit, vel cuivis alii, qui de sua doctrina & constantia certus est, ne ab illis seducatur, & horum salutem quærit, & impiis ritibus eorum & actionibus abstinet. *Exemplo Christi Luc. c. 15. 1. 2. & seqq. Vide Pet. Martyr. de com. piorũ cum impiis. Judic. c. 1. 36. Alias minime, arg. 1. Cor. c. 10. Matth. c. 5. 18. ob periculum, Eccles. c. 13. Exemplo Israelitarum. Exod. c. 32. Num. c. 22. & Petri in aula versantis, & dixi supra de hac re.*

Odiosa & fastidiosa est consuetudo vel conversatio cum hominibus teneris, qui instar vitri fragilis observari & molli brachio tractari volunt in sermone, qui quando non satis civiliter forte fuerunt, vel non titulis suis appellati, conqueruntur, exempli causa, tu tuissas me, & in singulari numero, mecum loqueris; vocasti me amicum, non Dominum: Ego vero (ut scias,) sum Dominus Jacobus. Item, non eo quo decet loco in mẽsa accubui. Tales molles alios pro suis mancipiis habere videntur, & seipsos amantes sine corrivali, aliis se longe præferunt.

Non ad quosvis sermones cujusvis respondendum, neq; animus ad omnia verba adhibendus, *Ecclesiast. c. 7. 21. Fatuus credit omnibus rebus. Proverb. c. 14. 15. & qui se prosternit*

ad ser-

ad sermones quosvis; contritionem parat. Prover. c. 13. 3. Ideo recte Seneca: Morbum esse scias, non hilaritatem, semper arridere arridentibus & ad omnium æstimationem ipsum quoq; os diducere. Nam stulto non se substernendum, Eccles. c. 4. 32. neq; stulto est respondendum secundum stultitiã suam, Eccles. c. 26. 4. 5. Sed abeundum à conspectu viri stolidi, quem nosti non præditum verbis intelligentiæ, Proverb. c. 24. 7. 1. Sam. c. 10. 27. at homines nequam dicebant, quid servaret nos iste? & cõtemnentes eum, ut ne afferrent ei munus: tamen plane conticuit, & 1. Sam. c. 25. 9. & quiete se cõtinuerunt, 12. 17. Ipse nequior est quam ut alloquar eum. Ecclesiast. c. 19. 15. Ne cuivis sermoni credito animus tuus. Levitas enim in credẽdo levem notat mentem. Senec. ad Lucilium, epist. 3. Utrumque, inquit, vitium est, & omnib. credere, & nulli. Itaq; quod dicitur, non esse facile credendum, intelligendum, nisi is sit probus & fide dignus, vid. Tiraquel. De pœn. temperand. caus. 51. num. 27. & seqq. gloss. & Bartol. in l. Titio fundus, de condit. & demonstr. Cito & temere credere assertioni cujusvis non debemus, *l. 1. §. dolum, de eo per quem fact. l. 3. §. sed si. de in rem vers. l. 2. quod falს. tut. l. nimia credulitate, C. de act. & oblig. l. sicut, C. de fid. instrum. l. non omnes, §. à barbaris, de re militari. & Cato:*

Noli tu quædam referenti credere semper:
Exigua est tribuenda fides qui multa loquuntur.

De illis rebus quę efferendæ non sunt, noli

communicare cum ullis, nisi quorum forte nõ minus quam tua intererit silentium. *Isocrat. ad Demonic.* imprimis vero curiosis nihil cõmunicandũ. Nam quę hi libenter audiunt, ea etiã libẽter effutiunt; & quę ab aliis studiose colligunt, apud alios cũ voluptate efferũt. Solent etiã curiosi ejusmodi colligere & congerere alienę vitę lapsus, errata, solœcismos & odiosissimũ malorum grãmatophylacion circumferre, & ἐπιχαιρεκακίᾳ laborare, quã malorũ annonam, novitates & mutationes exoptant, quas postea venales gerunt & sæpe non petentibus obtrudunt. *Unde rectè Plutarchus De curiositate ait, esse eam paralysin & tabem atque renudationem rerum, non efferendarum, libidinem audiendi secreta retrusaq́, eaque mala quibus gaudet & lætatur, ex quo homo curiosus seipsum reddit odiosum, molestum, in cujus præsentia nihil dicitur vel fit, & cujus commercium vitatur. Nam sicuti ventus, qui nobis pallia revellit est molestus, ita & curiosus qui parietes detegit, fores reserat, & non aliter ac ventus penetrat, irrepitque ad arcana & omnia omnium negotia scrutatur. Unde Plutarchus rectè dicit, curiosum hostibus suis utiliorem quam sibi. Siquidem illorum mala coarguit & profert, commonstrans illis quid cavendum, corrigendumve. Pleraque vero quæ domi geruntur, non animadvertit.*

Qui erudit hominẽ derisorem, hoc est, hominem desperatæ salutis, qui oblatrat & obgrunnit verbo salutari, ac nefarié ludificatur, reci-

recipit sibi ignominiã; & qui corrũpit improbum, recipit sibi conviciũ. *Prov. c. 9. 7. 8. Ne igitur corrigas derisorem, ut non odio prosequatur te; corripe sapientem, & amabit te. Da sapienti, ut sapiat adhuc, hoc est, qui animo ita comparatus est ut recipiat sapientiam, & non derideat, Prov. c. 10. 8. Nã virga & correptio dat sapientiã. Prov. c. 29. 15. Stultum si contunderes in mortario cum mola pistillo, non recederet ab eo stultitia, Prov. c. 27. 22.*

Quecunq; ergo modo sapiẽs conetur stultũ corrigere, nihil tamen efficit, sed ille inquieto animo permanet. Prov. c. 29. 9. ubi Jun. Nam conglutinat testam, qui docet stultum & excitat dormientes è profundo somno: & narrat dormitanti, qui narrat stulto, Eccles. c. 22. 8. Sed tamen ut Seneca lib. 1. De ira, c. 14. ait, non est prudentis, errantes odisse, alioquin ipse sibi odio erit.

Qui recipit documentum & correptionem, sapiens est. Prov. c. 10. 8. c. 12. 32. c. 12. 14. c. 13. 1. 18. 19. 20. c. 15. 5. 10. 12. 31. 32. c. 19. 20. 25. 27. c. 21. 11. & qui auscultat corripienti, scientia praeditus est, Eccles. c. 10. 28. c. 20. 7. c. 21. 7. qui vero saepius correptus, obdurat cervicem suam, repente confringetur, ut non sit curatio. Prov. c. 29. 1. & peccator declinat redargutionem, & quaerit homines qui adblandiuntur sua nequitia. Ecclesiast. c. 32. 20.

Nunc de verbis sermonis, quæ elegantia, modesta & jucunda esse debent, quibus nihil insit saporis amari, nec quæ veneno quodam doloris & contumeliæ sint imbuta, atque in recessu aculeos habeant. Hisce enim utentis consortium quilibet fugit, ne a sentibus, aut

tribulis pungatur, aut lædatur. *Exempli gratia, quando verba alius minus acutus aut promptus, non intelligit, dicendum potius, Ego pro dignitate non possum exprimere, quam, tu me non intelligis. Item, satius ita loqui, cogitemus aliquãtulum, an res se sic habeat; quã ita, Tu erras: aut, res se ita nõ habet: aut, tu hac non intelligis. Quod si amicus tuus solus erraverit, & errorem utrique vestrum facere communem decorum est, hoc modo: Nos vehementer erramus, nos non sumus recordati. Ita enim satius est loqui, quam ita, si modo vera sunt quæ dicis. Sic ubi quis non fecit, quæ debebat, loquendum potius his verbis, Forte oblivione circumventus, meum negotium non expedivisti; aut, tu forte illud facere non potuisti. Vel, forte tibi in mentem non venit: ita, inquam, potius loquẽdum, quam aculeatis hisce verbis utendum; Tu non solvisti, tu non liberasti fidem, tu fefellisti, tu mentitus es, tu non es candidus. Est enim honesta & amabilis consuetudo alium excusare etiam in eo, in quo intelligis jure eum culpari posse. Neq; etiam tam facile fides & existimatio aliorum in dubium vocanda.*

Honestas vocabulorum consistit in eorum sono & significatione, quorum utrumq; nihil turpe aut odiosum exprimat, nihil indecorum, vel impurum. *Sic meretricem, tu honestius mulierem impudicam dixeris, & pro ano seu podice, natibus ve, rectius posteriora, vel sedes, dixeris; & pro latrina aut cloaca, locum secretum; pro stercore humano, excrementum; pro coire, concumbere,*

bere, vel cognoscere: ita enim Scriptura loquitur. Genes. c. 4. 1. 17. 25. c 6. 4. vel introire ad mulierem, Psal. 51. 1. &, pro cacare, alvum exonerare, purgare, pedes tegere, Judic. c. 3. 34. 1 Sam. c. 24. 4. vel sedere. Deut. c. 23. 12. 13. 14. Pro mingere, vel lotium reddere, necessitati & naturæ parere, & sic in similibus.

Non utendum etiam verbis sordidis & humilioribus, quam quæ rei dignitati respődent. veluti si quis amicum ac familiarem, congerronem; literarum avidum, helluonem dixerit. *vid. Erasm. De cop. verb. lib. 1. c* 11. neq; insiitatis, insolentibus, priscis, obsoletis, duris, peregrinis, obscænis, Cynicis, neque novatis. *de quibus Erasmus late d. lib. 1. c. 11. De cop. rer. & verb.* quę omnia ex usu & consuetudine hominum sunt metienda. *Phavorinus philosophus apud Gell. libro 1. c. 10. cuidam adolescenti veterum verborum cupidissimo & plera q; voces nimis priscas & ignotas in quotidianis ser monib. expromenti, festivum dedit responsum: Vive moribus præteritis, loquere verbis præsentibus, &c. vide Macrob. lib.* 1. *Saturn. c. 5.*

Non utendum tropis, tacitū tædium, nauseam, vel molestiam, vel odium notantibus; vel sensum turpem, præposterum insinuantibus; vel rei spurcæ aut obscænæ imaginationē inducentibus, uti melius, ex animo molestiam eiicere, quam evomere.

In familiari sermone omnis affectatio oratoria, vel poetica tædiosa.

Verba loquentis sint clara, aperta, significantia, rebus adcommodata, non involuta, intricata, aut nimis ambitiose huc illuc trajecta, turbata, vel insinuata, sed bene, apté collocata, prout usus quotidiani sermonis exigit, *vide Senec. libr. 21. Epist. 116. & lib. 10. epist. 115.*

Genus dicendi tragicum & theatrale fugiendum; quia nimio turgens fastu, ad res civiles & conversationem inter homines est ineptum. Nimis quoq; gracile & exile fugiendū, quia nihil habet ad percellendū roboris, cum oratio non morbo tantum carere, sed & vires habere debeat. *Plutarch. de educ. liberor.*

Non utendum etiam abjecto, vili, plebejove sermone, quo cerdones, bajuli & lotrices, vel infima plebs uti solet. *vid. Senec. d. loc.* sed medio genere, quod artificiosum dicit *Plutarchus de liber. educ.*

CAP V.

De pronuntiatione, eiusque primo requisito.

HUcusque de verborum conceptione. Sequitur nūc de conceptorum enunciatione: quod secundum membrum usus sermonis diximus.

Pronuntiatio igitur alterum membrum sermonis est, quo verba concepta, tempestive, & vocis sono congruo proferimus.

Pronuntiationis itaque requisita duo sunt: quorum prius est, ut illa sit tempestiva. Alterum,

rum, ut sit congruo & decenti sono prolata & expressa.

Tempus sermonem instituendi tum opportunum est, quando ejus rei, de qua dicendum est, formam animo concepisti, & auscultanti & dicenti tibi est commodum. Sic enim oratio tua erit partus legitimus, non abortus: ut opus non habeas alios interrogare in medio orationis cursu, vel teipsum corrigere, vel impingere & balbutire cum aliorum molestia. *Eccles. c. 18. 20. c. 11. 8. Proverb. c. 18. 13. c. 33. 4.*

Tempestiva igitur enunciatio est quæ primo auscultanti adfert commodum, non tædium, molestiam, pudorem, vel iracundiam procreat. Deinde, quæ dicenti seu proferenti gratiam, non suspicionem vel præjudicium generat.

De utroque genere tempestivæ pronuntiationis sunt accipienda dicta 1. *Chron. c. 12. 32. Et è filiis Issacharis noscentis scite tempora, ut noscerant Israelitæ quid sibi faciendum esset. Ester c. 1. 13. Quapropter dicente Rege sapientibus noscentibus tempora, &c. Proverb. c. 25. 11. Velut mala aurea cũ figuris argenteis, est verbum dictum commode & tempestive, habita temporis, loci & auscultantium ratione. & c. 15. 23. nam res suo tempore dicta, ô quam bona! Esaja c. 50. 4. Dedit mihi Dominus linguam eruditissimam, ut sciam tempestive eloqui defesso verbum, &c. Eccles. c. 20 21. Ab ore stulti prolata parabola reprobatur. nequaquam enim eam dicit tempore suo. Jacob. c. 1. 19. Omnis*

homo sit velox ad audiendum, tardus ad loquendum, Eccles. c. 5. 13. cum tolerantia responsionem rectam eloquere, 14. Si tibi est intelligentia, respondeto proximo; sin minus, manus tua super os tuum esto, & c. 41. 20. Verecundia quilibet moveatur, non enim bonum est, omnem pudorem cõservare, neq; omnia omnibus probantur, & vers. 19. Præstat homo abscondens stultitiam suam homini abscondenti sapientiam suam.

Silentium moderatum & tempestivum, signum est pudoris, verecundię & modestiæ. Sermo tempestivus, index animi prudentis. *Vide Plutarch. in libello περὶ τῆς ἀδολεσχίας. Contra nullus potus vel cibus non debito modo apparatus, tam insuavis est, quàm sermo ἄκαιρος καὶ ἀόντος, ut ait idem Plutarch. Problem. 1. Sympos.*

Primi generis tempestivæ enunciationi cõtraria sunt, quando dicimus de rebus, quę personæ audienti contrarię, ingratę sunt; vel modo, loco aut tempore dicendi ingratis, veluti quando irrumpentes in alterius sermonẽ proferimus, quod cursum alterius dicentis directo, vel indirecto potest inhibere. cum inter loquentem & auscultantẽ symmetria esse debeat, sicuti inter eos qui pilâ ludunt: ne aviũ & sturnorum garrientium videatur esse conventus. *Plutarch. de auditione: Exspectandum, inquit, dum alius dicẽdi finem fecerit, ac ubi is peroravit, non continuò contradicere oportet, sed spacium relinquendum, sive addendi aliquid dictis si ita videatur, sive mutandi quippiam, sive detrahendi.*

hendi. Qui statim irrumpunt, neq; audiunt, neq; audiuntur. Qui vero continenter et verecunde & patienter audit, is & quod utile est é sermone dicentis percipit, atq; retinet, & quod inutile & falsum, facilius perspicit & deprehendit, veritatisq; non contentionis studiosus habetur, non temerarius, vel rixator. Invidia & livor pessimus adsessor & consiliarius auditori, & dictu molesta atq; injucunda efficit & judicium eorum invertit, abripit & attentionem adimit, & memoriam atque recordationem dictorum abolet. Idem Plutarch. De garrulitate: Maxime, inquit, observemus nosmet, ne alio interrogato, ipsi praeoccupemus, praeripiamusq; responsum. Forsan enim neq; rectum est, ut alio quippiam aliud interrogato, eo repulso, nos ipsos intrudamus. Videbitur enim pariter & interrogatū contumeliâ afficere, quasi qui quod petitur, praestare nequeat: & interroganti, quasi qui petere à quibus accepturus sit, nesciat, exprobrare. Maxime vero contumeliam adfert circa responsiones talis petulantia & temeritas. Declarat enim simul qui in respondendo praevenit interrogatum, quasi dicat, Quid isto opus est, & quid iste novit? Et me praesente de his nullus alius interrogandus est, & pluribus seqq.

Considerare etiam oportet, ne imprudens, iis qui risus aut contumeliç caussa te ad sermones provocant, respondeas serió. Ideoq; non cito ad sermones prosiliendum, sed interrogantis mores & necessitatem contemplari cõvenit. Et, si apparet quod interrogans revera

velit discere, adsuefaciamus nos responsum reprimere, intervallum aliquod facientes inter quæstionem & responsionem, quo interrogans, siquid velit, adjicere possit; quique interrogatur, consideret quid respondeat & non præcurrat, neque obruat responsionem. Non raro etiam solet accidere ut præ festinatione interrogantibus alia pro aliis demus responsa. Quin etiam impetus & fames sermonis acris retundenda est, ne videatur veluti fluentum iam olim linguę obsistens libenter ab interrogatione educi.

Sunt autem tria genera respondendi ad interrogationes. Unũ, necessarium; uti si interrogetur quis, an sit intus Socrates: ibi invitus cogimur respondere, non est intus. Alterum, est humanum, uti si respondeat, non est intus, sed apud trapezitas agens ibidem, &c. Tertiũ, est superfluum, uti, non est intus, sed apud trapezitas, hospites ex Ionia exspectans, pro quibus illi scripsit Alcibiades, &c. ex quo garrulus molestus fit. *vide Plutarchum De garrulitate.*

Sermonem tuum in alterius loquentis orationem & pronuntiationem ne immittas. *Ecclesi. c.* 11. 8. Molesta enim est consuetudo, alterius verba quę in ore habet, obstrependo interrumpere. *Eccles. c.* 18. 16. quod quidẽ tantopere ei qui id patitur, placet, quantopere placeret, si aliquis te pleno cursu ad metã contendentẽ subito retraheret. Neque.n. convenit ut

ali-

alio quopiam loquente, tu vel novi aliquid monstrando, vel præsentium attentionem aliorsum sevocando, efficias ut ab auditoribus neglectus deseratur. neque enim decet, ut tu eum, qui non a te, sed à loquente est invitatus, demittas. Addo, quod qui auscultando sunt impatientes, judicando fiant temerarii.

Nequaquam igitur aliorum sermo interceptus, interrumpendus ex insatiabili dicẽdi ingluvie, sicuti videmus in rusticorum fimetis, pullos gallinaceos, aliis ex rostellis grana præripere; nisi forte privatus quis sit affectus, inhibitionem requirens, aut morbus admonitionis egens.

Neque etiam quando quis in loquendo est tardior, is antevertẽdus, aut verba eidem suppeditanda: tanquam tu opulentus, ille vero egenus videatur.

In diebus & tempore publicæ lætitiæ, non recitentur historiæ melancholicæ, aut tragœdiæ: nihil de morte, morbis; de furum, prædonum, piratarum & veneficarum extremis & capitalibus suppliciis, & quibusvis aliis auditoribus horrorem incutientibus & hilaritati repugnantibus. *Nam ut musicorum sonorum in luctu narratio intempestiva est, Ecclesiastic. cap. 22. vers. 6. Sic concentus musicorum tempore lætitiæ instar carbunculi est, Ecclesiastic. cap. 32. 6, 7. Et ut qui imponit sibi vestem tempore frigoris, aut acetum nitro; ita est qui canit cantica apud animum male affectum,*

Proverb. 25.20. adde Jacob. c. 5.13. Est enim tẽpus ridendi, tempus plangendi & tempus saltandi, Ecclesiast. c. 3. 4. Flendum enim cum flentib. & gaudendum cum gaudentibus, Roman. c. 12. 15. Quãdo itaque accurata scientia agitur, musicos etiam modulos impedi; ubi est concentus, ne effundas eloquium, neq; intempestive agas sapientem, Ecclesiast. c. 32. 5. 6. & seria aliis agentibus non tu joceris aut nugas agas, & contra. Nemo libenter tristi conversatur, nedum tristitiæ, ut Senec. libr. 16. epist. 100. & contra, omni tempore lætis & jocantibus.

De rebus personis audientibus contrariis etiam loquimur, quando in præsentia suspectarum personarum de pudicitia Lucretiæ, vel Josephi castitate, sermo instituitur: aut in præsentia deformium, corpore vitiosorum vel mutilatorum, de Thersite disputatur; aut in conventu militum, de vitiis Thrasonis differitur; vel in consessu anicularum, differitur de modestia adhibenda in choreis, vel de jucundo matrimonio & pie educandis liberis.

Risus quoque intempestivus gravis auditu est, & ut Menander dixit, γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Risus vero neq; multus sit, neq; ob multa, neque solutus & effusus. *Ecclesiast. c. 21. & c. 7.* Ergo neque semper est ridendum, neque omnibus, neq; apud quoslibet, neque propter omnia, neq; omni in loco, sed diligens & accurata est & personarum, & rerum & loci, & poris

poris habenda ratio. *Vide Clem. Alex. libr. 2. Pædag. c.5. Nam omnibus dictis & factis arridere, stultorum est; nullis arridere, stupidorum. Isocrates ad Demon. Neq; inter ridicula seriis, neq; inter seria ridiculis gaudeas. Intempestivum enim ubiq; est molestum.*

Garrulus, si quis sermo incidit, nude discere aliquid & audire queat, quæ nesciebat, eum reiicit & repellit, mercedem sibi parvam silendo dare non valens: circumiens autem in gyro in veteres ac detritos centones sermonem impellit de iis rebus, quibus delectatur, vel in quibus valet scientia & alios excellere se putat. *Plutarch. De garrulitat. in fin. Macrob. lib. 7. c. 2. Saturnal.*

Aliena a professione alicujus, ab eodem ne quæras. Præbes enim suspicionem malignitatis & odii. Neque multa, neque frequenter quærenda: quod signum ostentationis & superbiæ.

Audienti quoque stolido ne loquaris, *Ecclesiast. c.23. 9. Proverb. c.23. 9.* Nam sermo intelligentiæ stulto ingratus est, *Prov. c. 17. 7.* Apud senes etiam ne multa dicas, *Ecclesiast. c. 32. 12. c. 7. 13.*

Qui balbus est, blæsus aut raucus, præ aliis omnib. garrulus & vocalis esse non debet, sed potius linguæ suæ defectum silentio & auscultatione tegere.

In reprehensionibus, ut decoræ & civiles sint, consideranda sunt res & personæ. Res, ut,

talis sit, quæ repræhensionem mereatur; quod ex aliis artibus judicandum. Persona vero repræhendentis & repræhendendi. In persona reprehendente requiritur, 1. innocentia & integritas. 2, forma & modus justus repræhendendi: & 3, tempus. Ideo recte dicitur, Prius cognoscendum, & tum increpandum. *Eccles. c.11.7. & c.19.28.*

Integritas & innocentia repræhendentis in eo consistit, ut ipse se excutiat, ne hujus vitii, cujus alium arguere vult, argui possit. *Et Plutarch. de liber. educat. ait; Quorum vita turpis est, ii objurgandi libertatem sibi adimunt: & reprehendentes alios, seipsos accusant. Quod si vero ipse reprahensor est culpa reus, vel moribus non integris, convenit ut se quoque culpa admisceat. quomodo benevolus videtur, & fides illi habetur in iis, quibus seipsum corrigit, & se ingenue fatetur obnoxium, & magis penetrant in affectus, & magis credunt homines iis, qui communibus tanguntur affectibus. Corripiens vero qui seipsum jactat, quasi liber & immunis à vitiis omnib. sit, gravis & molestus & cõtemptor habetur. Plutarch. de discr. adulat. & amici. Matth. c. 7. 3. 4. 5. & c. 5. 7. Hypocrita, ejice primum trabem illam ex oculo tuo, & tum dispicies ut ejicias festucam ex oculo fratris tui, Luc. c. 6. 41. 42. Ioh. c. 8. 7. 1. Timoth. c. 3. 2. Tit. cap. 1. 6. & Seneca De morib. nihil turpius quam sibi objiciendum, alteri objicere. Juxta illud Catonis; Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.*

Dein:

Deinde corrigens ſemper ignoſcere prius debet alii erranti: ſibi verò nunquam. Qualis enim eſt judex, talis eſt quoq; miniſter, & ſubditus, *Eccleſ. c. 10. 2.*

Deniq; admonẽtis & reprehẽdentis munus eſt, offensã ex admonitione natã in ſe recipere.

Forma & modus reprehendendi civilis eſt, quo increpatio ſecũdum perſonarum, quibus fit, qualitates, temperatur, ut fiat benevolé, humaniter, fraterné, paterné, reverẽter, Chriſtiané, ex amore fideque ſincera, cum ſpiritu manſuetudinis & lenitatis, & συμπαθείᾳ, non cupidé, affectaté & ἐπιχαιρεκακῶς, ſed cum dolore. *Iſocrat. ad Demon. Neq; fueris cupidus culpandi, quia grave eſt; vel caſtigandi, quia eſt acerbum: neq; ſis contentioſus & contumax in admonendo.*

Neq; libertas admonendi vulgo jactanda & circumferenda, ſed ad juvandum & ſanandum proximum eâ duntaxat utamur.

Neque coram pluribus quis reprehendendus. Nam peccati detectionem, quæ fit reprehendendo, ſecretam eſſe cõvenit, clandeſtinam, privatam & verecundam; quæ ex alienis erratis gloriam non captet, *Plutarch. De diſcr. adulat. & amici.*

Neque etiam convenit non inficiantes acerbius coarguere, neque obſiſtere ſeſe purgantibus, ſed potiùs excuſandi occaſiones quasvis admittere & à pejoribus cauſſis abſtinere ad hoc, ut levius peccaſſe videatur admo-

nendus: ut, Ignorasti, potius dicendum quam injuriam fecisti, &c. *Plutarch. d. loco.* Neq; purgandi sui potestas adimenda, sed in argumētis honesti prætextus excogitandis adjuvādus est: & caussa deteriore omissa, tolerabiliores suggerendæ. *Senec. lib. 7. De benefic. Admonitio interveniat, quæ non poscat nec in jus vocet, & lib. 2. De benefic. Admonitio tædium facit, exprobratio odium, 2. Timoth. c. 2. 24. Servum autem Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, 25. cum lenitate erudientem eos qui contrario animo sunt affecti, &c.*

Inprimis etiam hîc cavendum iis qui objurgant, ne post objurgationem monitum destituant; neve committant, ut ita contristent & irritent familiares, ut ea res finiat consuetudinem & familiaritatem, ut ait *Plutarch. d. loco.* Sed potius aliis colloquiis & sermonibus lenibus demulceant ac recreent. Quare observandum ne verbis amicum castigantes, colloquium verbis molestiam afferentibus & irritantib. abrumpentes, discedamus, *Galat. c. 6. 1. Instaurate hujusmodi hominem cum spiritu mãsuetudinis, considerans temetipsum, ne & tu quandoq; tenteris, 2. Timoth. c. 4. 2. Exhortare cũ omni lenitate & doctrina, 1. Thessal. c. 5. 14. Patientes estote erga omnes, 1. Timoth. c. 5. 1. 2. Seniorem ne increpato, sed hortare ut patrem, & seqq. vers. De qua forma admonendi & reprehendēdi exēpla & præcepta vide latius* Jacob. *cap. 3. 1. Ne estote*

multi

multi Doctores; fratres mei, scientes fore ut gravius judicium auferamus, 1. Johann. c. 2. 1. 7. 12. 13. 14. *Levit. c. 19. 17. 18. Proverb. c.* 1. 20. *c. 9.* 7 *cap.* 10. 17. *c.* 12. 1. *c.* 13. 1. *c.* 15. 31. *Matth. c.* 18. 15. *& seqq.* 1. *Sam. c.* 25. 37. *Genes. c.* 19. 7. *c.* 37. 2. *Exod. cap.* 2. 12. *c.* 18. 13 14. 1. *Sam. c.* 24. 15. 16. 2. *Sam. c.* 2. 21. 22. *Nehem. c.* 5. 7. *Daniel. c.* 5. 22. *& passim alibi. Ideo Seneca recte: Alienorum vitiorum neque curiosus scrutator, neq; acerbus reprehensor, sed sine exprobratione reprehensor: ita ut admonitionem hilaritate praevenias & errori facile veniam des. Nam, ut pressura lactis educit butyrum, & pressura nasi educit sanguinem, ita pressura irarum educit litem, ut Sapiens ait Proverb. c.* 30. 33. *& velut monile aureum & ornamentum ex insigni auro est reprehensor sapiens, Ecclesiast. c.* 1. 24.

Quapropter in reprehensionibus honestū est reprehensionis amaritudinem, laudis alicujus dulcedine & lenitate miscere; aut ostendere, nos alios culpare ob eosdem defectus vel excessus, quibus is, quem corrigere cupimus, laborat; aut vero nos ipsos etiam arguamus, innuentes eidem errori nos quandoque obnoxios. *Plutarch. de lib. educat. Clem. Alexandrin. libr. 2. Pædagog. c. 7. Per id quod non adest, id quod adest reprehendere convenit, aut sub aliena persona castigare, ut Plutarch. d. loco ait.* Unde *Seneca de morib. Objurgationi semper aliquid blande admisce. Facilius enim penetrant verba quæ molli vadūt via, quam aspera. In sum-*

ma itaque alius ita corrigendus, ut sit grata correctio; eaq; emendatum nobis obligatum reddat, neq; videatur corrigens cupidus vanæ cujusdam præstantiæ aut dignitatis, arrogantiæ, aut diffamationis cujusque in correctum. *Elegans hujus reprehensionis exemplum extat* 1. *Samuel. cap.* 25. 25. *& seqq. Vbi Abigaïl prudenter Davidis temeritatem & vindictæ cupiditatem corrigit. Et aliud* Judic. *c.* 8. 1. 2. 3. *ubi Gideon arrogantiam & ambitionem Ephraimitarum tacite reprehendit, aliud* 2. *Samuel. c.* 14. *& Galat. c.* 3. *Actor. c.* 19. *Plutarch. De liberor. educat. Convenit, inquit, severitatem & acerbitatem reprehensionis lenitate temperare, ut medici amara medicamenta dulcibus succis permiscẽt, quo accessum inveniant: & De d scrim. adulat. & amici, ait; Laus leniter admiscenda reprehensioni, quâ asperitas illius corrigatur, & amulatio gignatur erga seipsum, ut secum ipse certet, dum honeste factorum commemoratione turpium pudescit, & ob id se meliorum exemplũ præstare studet. Sanè qui laude potius, quam reprehensione ad mores emendãdos utitur libere, maxime monet & offendit minime, & sanat maximè. Plutarch. De discrim. adulat. & amici.*

Quod si tamẽ mansuetudo reprehendentis ferociorem redderet reprehẽsum, ut Benadadus responso placido Achabi efferebatur. *2. Reg. c.* 20. tunc secundum eorum superbiã & stultitiam ipsi respondendum, ut Jephte fecit, *Judic. c.* 11. *& præcipitur Eccles. c.* 17.

Tem-

Tempus reprehendendi idoneum censetur illud, quo corrigendus est admissurus facilius correctionem vel admonitionem. *Nam in re adversa, ut ait Seneca, crudelis est objurgatio, & in ebrietate hominis corrigendi, ira & furore, vel pertinacia. Est enim tempus curandi, tempus loquendi, silendi, tempus amandi & odio habendi, tempus belli & tempus pacis, ut ait Ecclesiast. c. 3. 3. 7. 8. Et honeste servit qui tempori servit. Ecclesiastic. c. 19. 28. Est redargutio quæ intempestiva est; & qui tacet eam, is quoque prudens est.*

In rebus adversis crudelis est objurgatio ideo, quia adflicto adderet afflictionem, & charitatis expers esset, quæ jubet esse flendum cũ flentibus. *Rom. c. 12. 15.* eosq; erigendos esse. *Hinc Plutarch. De discrim. adulat. & amici, recte ait, res afflictorum non recipere objurgandi libertatem, aut sententiæ dictionem, sed humanitatem & subsidium desiderare.*

Quod si tamen petulantia sua sibi malum quis attraxit, præsertim cum de illo cavendo aliquoties fuit admonitus, graviter, non tamen acerbé talis admoneri debet, ut cogitet se sibi tale malum attraxisse, & proinde agnoscat justam Dei gubernationem, quę tamen iis qui diligunt eum, omnia ad bonum conferat.

In ebrio reprehensio & objurgatio intempestiva est ideo, quia non ædificat, sed crabrones irritat. *vide Plutarchum De garrulitate & De discrimine adulator. & amici, ubi dicit hinc oriri iram, lætitiæ privationem & hila-*

ritatis ac oblectationis ademptionem. Ideoque reprehendenti ebrium, Non pudet te ebrietatis foetidae? recte ab ebrio responsum dicitur; Non pudet te ebrium hominem reprehendere? Et Eccles. c. 31. 35. praecipit: In convivio vinoso, ne redarguas propinquum, neque facias eum nihili in laetitia sua. 36. Sermonem probrosum ne dixeris, neq; arguas eum obversantē tibi. Prov. c. 20. 1. Derisor est vinum, tumultuosus, potius inebrians. Cujus exemplum extat 1 Sam c. 25. 36. Ecce convivium erat Nabali domi, in quo animus ejus laetus erat, adeo ut pervalde ebrius esset. Quamobrem illa non indicavit ei quicquam parvi aut magni usque in lucem matutinam. & vers. 37. Sed fuit mane, cum abiisset crapula a Nabale & indicaret ei uxor ejus res istas, ut obstupuerit animus ejus.

Eodem modo objurgatio intempestiva in furore vel ira concitato & occupato homine, quę apud eum locum nō habet. *Isocrates ad Demon. Eris autem comis, si neque jurgator sis, neq; implacidus, neque cum omnibus contendas, neque irae eorum cum quibus agis, celeriter occurras, neque si injuste quidem fuerint irati, sed effervescentib. concedas, deinde ipsos ubi relanguerit, reprehendas. Eccles. c. 8. 4. Ne contendas cū homine verboso, neque exaggeres ad ignem illius ligna. 13. Ne incendas carbones peccatoris, ne comburaris igne flammante illius. 19. Cum iracundo ne ineas certamen, ac ne facias cum eo iter solitarium. Ita enim videtur sanguis in oculis ipsius, quasi nihil esset, & ubi non est auxilium, ibi deiiciet te.*

In

In reprehendendo considerandum an sit admissurus correctionem, & an ædificari possit. Derisorem igitur reprehédere intempestivum; hoc est, hominem desperatæ salutis, qui oblatrat & obgrunit verbo salutari. Talis enim admonitor & reprehensor recipit sibi ignominiam & convicium. *Proverb.c.9.7.8. & c.30.33 Matth c.7.6. Corripe potius sapientem & amabit te. Prov c.10.8 Nam stultũ quocũq; modo sapiens conetur corrigere, nihil tamẽ efficiet, sed ille inquieto animo permanet. Prov.c.29.9 ubi Jun.*

Cavendum quoque diligenter ne in admonendo sis contentiosus, vel contumax; deinde, ne assidua sit severitas, quę amittit authoritatẽ & benevolentiam, sed sit temperata cum clementia & lenitate. Ideo alternis vicib. increpationes & collaudationes usurpãdæ & adhibendæ, ut cũ exultant animi reprehẽsionibus, ad pudorẽ redigantur: &, cũ dejecti sunt, rursus laudib. erigantur. *Plutarch. de liber. educat.*

Nonnunquam etiam tempus hortatur ut voluptate, ira vel ferocitate præcipitem, coerceas, aut avaritiam cohibeas, aut ut adversus stultum aliquem animi motum reluctèris.

Nonnunquam etiam amici ipsi opportunitates admonendi & reprehẽdendi ministrant, quas arripere oportet & uti. Sic.n. percontatio, narratio, vel aliud factum reprehendendi præbet causam & monendi ansam. Sic etiam ab aliis affecti probris, sua vitia illis exprobrãt. Quandoq; etiam verba de aliis faciendo cor-

Secundi vel alterius generis sunt, quæ dicenti gratiam adferunt & benevolentiam cõciliant; ea, inquam, tempestive in mediũ adferuntur. Contra veró intempestivé, quæ præjudicium & suspicionem generant, reticenda non efferenda.

Hinc stultum & ignominiosum existimatur, si quis respondeat priusquam audiverit, *Eccle. c. 11.8. Prover. c.*18.13. *Nam utcunq; interrogatio manifesta est, sermonem tamen prapara & post eruditionem responde. Proverb. c.* 33.4. *Eccles. c.* 33.4. *Ideo incivile dicitur judicare de re non tota perspecta & audita, vel discretione non habita, Hebr. c.*5.14. 1. *Thess. c.*5. 21. *Imprimis non festinandum quando spondes pro alio, Proverb. c. 6.* 1. 2. *& seqq. Sermones suos vir scitus & frigidus spiritu cohibet, Proverb. c.*10.19. *c.*12.22. *c. 13.* 16. *c.* 17.27. *Ecclesiast. c.*17.20. *& suo tempore & loco profert. Proverb. c.* 29.11. *Totum spiritum suum profert stolidus; at sapiens pone reprimit eum, & c.* 12. 22. *c. 13. 16. c.*14.8. *Nam velut mala aurea cum figuris argenteis est verbum dictum commode & tempestive, habita loci, temporis & personarum ratione. Proverb. c.* 25.11. *c.* 15. 23. *Itaque convenit quandoq; ad tempus occultare sermones suos, ne illi sint intempestivi, Eccles. c.*20.20. *c.*1.23. 24. *Salutis autem tempore sermonem suum non prohibet sapiens. Eccles. c.* 4.27. *& semper paratus est, ad respondendum cuilibet petenti rationem spei suæ,* 1. *Pet. c.* 3.15.

Jucunda dicitur interrogatio de illis rebus,

Sunt etiam qui cupiunt interrogari, quibus loquacitas familiaris. Sunt qui parci sunt verborum & morosi, quibus molesta interrogatio.

Magna quoq; & civilis res est vocis & silentii temperamentum. Nimia enim loquacitas odiosa & incivilis, & nimia taciturnitas. Ergo duo extrema hìc vitanda, loquacitas & silentium. Loquacitas & garrulitas effusa & effrenis est in excessu. Taciturnitas, sive silentium, pertinax & perpetuum in defectu. *vid. Gell. lib.13.c.11. Noct. Cicer. 2. De orat. Tempus, ratio & ipsius dicacitatis moderatio & temperantia, & raritas dictorum distinguit oratorem à scurra. & Gellius lib.1.c.15. ex Hesiodo refert* linguam non vulgandam, sed recondendam esse, perinde ut thesaurum; ejusq; in promendo gratiam plurimam, si modesta & parca & modulata sit. *Garrulitas sive loquacitas Græcis elegãter dicitur* ἀδολεσχία, φλυαρία, ἀσιγησία, λογοδιάῤῥοια, ἀθυρογλωττία, μακρολογία, λαλία, κακολογία, λογοφιλία, γλωσσαλγία. *vide Clem. Alex. lib.2.c.7. & Guil. Stuckium lib.3.c.17. Convivial. antiquit. qui & aliorum testimonia citat. Gellius vocat linguam prodigam, effrenem, quæ semper fluit & æstuat colluvione verborum teterrima, & homines blaterones linguaces, garrulos, loquaces.*

Loquacitas & garrulitas arguit futilitatem, levitatem, temeritatem, inconstantiam, superbiam, scurrilitatem & vanitatem hominis, *vid. Plutarch. De garrulitat.* Contra, temperati si-

lentii encomia sunt gravitas, sanctitas, secretum, mysticū, ob quod admirationi sunt aliis, & diliguntur, sapientioresq; videntur. *Plutar. de garrul.* Iudęi *sapientiæ sepem* vocarūt silentiū.

Ergo omnis homo velox ad audiendum & tardus ad loquendum esse debet, Jacob.c.1.19. *Ideo n. natura nobis duas aures & unam linguam eamq; muro dentium circumvallatam dedit, quod nimirum plura et sæpius audienda quam loquenda sint*: Unde *Ecclesiasticus eleganter dicit, Sepem spinosam prætexu tuis prædiis; quare non patitis ori tuo obdis ostium & repagulum? Hinc ora, ἀθύρα καὶ ἄκλειστα. Plutarch. De garrul. Silentii enim tutum præmium.* Unde *rectè Horatius lib.*1. *Epistol.*

— ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet. *ibid.*
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus invidiæq;.

Deinde loquaces existimantur esse leves & futiles, *ut ait Gellius lib.* 1. *c.* 15. quiq; nullo rerum pondere innixi, verbis humidis & lapsantibus defluunt, quorum oratio in ore, non in pectore nascitur. *Allegat Ciceronem libro 1. De Orat. dicentem*, Quid tam est furiosum quam verborum vel optimorum & ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia? *Nunquam*, inquit, *tacet quem morbus loquendi tenet, tanquam veternosum bibendi & dormiendi. & alibi: Malim equidem indisertam prudentiam, quam stultam loquacitatem.*

His

His addo quod immodicus sermo fastidium pariat. *Eccles. c. 7. 13. c. 19. c. 20. 3. 5. 6. Ecclesiast. c. 2. 3. & πολύλογος stultus dicitur. Ecclesiast. c. 5. 2. 3. c. 10. 11. & seipsum odiosum reddit loquacitate sua, Ecclesiast. c. 20. 3. 5. 6. & vox stolidi ex multitudine verborum cognoscitur, Ecclesiast. d. c. 5. 2. 3. Atq; in multitudine verborum nō cessabit defectio, & intelligens cohibet labia sua. Proverb. c. 17. 28. Etiam stultus cum tacet, sapiens reputatur; & qui obdurat labia sua intelligens. & c. 25. Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. & Job c. 13. & Prov. c. 10. 19. Et parcus verborum sapiens judicatur. Ecclesiast. c. 5. 3. 4. 6. Est enim, tacens, qui sapiens deprehenditur, & est aliquis odiosus pranimia loquacitate sua Eccles. c. 20. 3. Est tacens, eo quod non habet responsionem, & est tacens qui opportunitatem novit. d. c. 20. 4. Vir sapiens taciturus est ad opportunitatem usq;, procax vero et insipiens opportunitatē transilit. 5. Et qui abundat sermone abominationi est, 6. & vers. 20. Hominis ingrati & inepti sermones alieni sunt, ubi Junius. Plutarch. De garrul. Garruli volentes amari sunt odio, et gratificari volentes sunt molesti et putantes se admirari, deridentur & lucrantes nihil capiunt, ita ut nec vera dicentib. credatur, Eccles. c. 7. Ne sis loquax apud seniores, & cum oris tempera tibi a multiloquio. Proverb. c. 17. 27. Cohibet eloquia sua qui scit sapientiam, & pretiosus spiritus est vir intelligens. Eccles. c. 6. 11. Sanè verba multa multiplicāt vani-*

tatem, quod amplius homini? Alii garrulitatem proditionem, nullo pretio conductam, vocarunt. vid. Plutarch. De garrul. ubi historicis exemplis id illustrat. Ephes. c. 5. vocatur dicacitas futilis & scurrilis, & c. 4.

Quam praterea indecora, inhonesta & odiosa sit hac effrenata & immoderata dicendi libido, late Plutarch. d. loco disserit. Quod si enim garrulus (ait) exiguum audiverit, id arreptum instar affluentis maris illico multiplicatum reddit. Et ut porticus Olympia unam vocem, multis reflexionibus resonabat, unde ἑπτάφωνος; sic garrulitas vel minima voce si tangitur, statim sonos reddit varios, ita ut auditus foramina garrulis, non in animum, sed in linguam desinere videantur. Deinde cum alii vitiis dediti, ut avaritia, ambitioni, intemperantia plerunq; iis qua appetunt potiantur; garruli contra voto suo magna cum animi sui molestia frustrantur. Cupiunt enim habere multos auditores, at omnes illos fugiunt & adversantur. Itaq;, quemadmodum orto silentio in collocutione aliqua, Mercurium ajunt subintrasse: ita cum in consessum aut convivium notorum garrulus aliquis sese infert, omnes obticescũt, ne illi loquẽdi ansam prabeant, etsi ille vel ultro hiscit, illico universi digrediũtur, estũ et nauseã, veluti Borea circa maritimũ promontoriũ fremẽte, pravidẽtes. Ita Plut.

Hisce addo quod qui minimũ sciunt, ferè plurimũ loqui soleant, sicuti dolia inania & vacua si pulsentur, maximum sonum edunt; contrá, plena, exiguum; & agricola spicas libentius vident qua incli-

inclinata versus terram vergũt, quæ ob levitatem attolluntur sursum, eas inanes putãt & cassas. Difficile quoq; unum & eundem simul & multa loqui & nõ multum errare, atq; ita ex loquacitate quasi ἀμνησία nascitur. Est etiam tyrannidis cujusdam species, semper loqui velle & nemini auscultare, & signum arrogantiæ & præstãtioris fortunæ. Nam qui verbosus est, cupit excellentior videri iis qui auscultãt, sicuti præceptor suis discipulis præstãtior & dignior habetur. Et si tibi non imperasti, quomodo ab alio sperare poteris silẽtium? Nescit loqui qui tacere nescit. Et sat scit qui tacere scit, vel rari sermonis est & loquẽtiũ patiẽs. Primũ igitur discẽdum silere & deinde loqui. Plutarch. De garrulit.

Ut ergo redundantes sint sermones tui, ne curiose laborato, Eccles. c. 3, 23. Sed finis dicendi & loquendi tempestive faciendus, ne sermo in tui solius possessionẽ venisse videatur, & alios excludas, ut Cicero alibi loquitur; & monet animadvertendum quatenus sermo delectationem habeat, ut & incipiendi ratio fuerit ita & desinendi modus. vid. Plutarch. Sympos. problem. 1. Senec. lib. 3. Contro. aiebat Scaurus, dicit, rem veram minus magnam virtutem esse scire dicere, quam scire desinere.

Summatim verò contrahere sermonem et paucis multa dicere convenit, Eccles. c. 32. 10, 11. quæ est βραχυλογία. vid. Plut. De garrul. ubi Laconicã brevitatẽ vocat & summè laudat; sed tamen sermo tuus non sit brevior quam res ipsa requirit, ne sit necesse amplius interrogare, Plutar. De garrul.

Ταυτολογία & repetitio sermonis prolati molesta

& odiosa est, Ecclesiast. c. 7. 13. c. 19. 7. c. 41. 29. vid. Ioh. Guil. Stuckium de conviv. antiqu. lib. 3. c. 17.

Taciturnitas nimia seu perpetuum & pertinax silentium & ἐχεμυθία improbatur, & parit suspicionem odii, inimicitiæ, fastidii, superbiæ, arrogantiæ, ebrietatis, inscitiæ vel stultitiæ. Nam omnis elinguis & mutus ob unam ex his caussis talis esse videtur. Et ibi tacere, ubi alii per vices loquuntur, quid aliud videtur esse, quam ad convivium pro parte sua symbolam non conferre? Et ibi tacere, ubi loquendum est, quid est nisi odium proximi & invidia? Nam Amyclas silentium perdidisse dicitur. Itaque mutos istos in lætis & amicis congressibus nemo libenter videt. *vid Gell. lib. 13. c. 11. Nec loquaces neque mutos legere oportet. Eloquentia in foro & apud subsellia: Silentium vero non in convivio, sed cubiculo esse debet. Suo ergo loco & tempore loquendū & tacēdum est alternatim. Eccles. c. 4. 27. c. 41. 20. Cogitabundum enim eo in loco esse ubi quis est, quasi abreptū & extra se constitutū est hominis melancholici habitus.*

Arcanorum silentium cōmmēdatur. siquidem secreta & arcana nemini committenda. *vid. Plutarch. De garrul. Et Ovidium, qui ait:*

Eximia est virtus præstare silentia rebus;
At contra gravis est culpa, tacenda loqui.

& Prov. c. 20. Ne verseris cum illo qui arcana detegit: & c. 11. Qui ambulat fraudulenter revelat arcana. qui autem fidelis est, celat amici commissum. adde Eccles. c. 27.

CAP. VI.

De altero pronunciationis requisito.

TAntum de primo pronunciationis requisito. Sequitur de altero; congruo nimirum & decenti sono pronunciationis, quo vocis sono rebus adcommodato, secundum earundem naturam verba concepta proferimus. Græcis recta pronunciatio, est Ὀρθοέπεια.

Nam lingua vocem moderatur & ad animi motum adcommodat. Ideo affectibus & naturæ negotii de quo quis loquitur, se adcommodare debet in pronunciatione: qua de caussa lingua data, Eccles. c. 17. 7. 1. Cor. c. 14. 7. 8. 9. & seqq. Nisi distinctionem tonis dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur, aut cithara? & ideo lingua clavo navis comparatur; quæ si suavis est, tibiæ & psalterium superat, Eccles. c. 40. 21.

Pronunciatio ejusmodi mali & contra leges Logicas, Rhetoricæ adscribitur, quæ præter tropos & figuras non habet essentialia alia membra, vel species. Nam tropi & figuræ omnem sermonem & orationem semper reciproce exornant, ita ut insint ipsis verbis atque sermonis pronunciati vel scripti naturæ & adfectioni adhæreant, tanquã essentialia & cognata membra, adeo ut absq; sermone illo usum nullum habeant, & ab eadem Rhetorica separata, per se consistere non possint, neque ad alium artem referri. Finem etiam hujus artis Rhetoricæ, qui est bené dicere, assecutus ille dicitur,

qui sermonem & orationem suam tropis & figuris exornavit, etiamsi orationem suam non pronuntiaverit, vel non decore, seu voce, sono & gestu non congruentib. enũciaverit. Hic enim elegantẽ quidem & ornatam orationem pronuntiavit, quod negari non potest, sed voce, sono vel gestu ineptis, indecoris, inconcinnis & incivilibus. Unde constat orationem ornatam aliã esse, & alium sonum seu vocem vel gestum decorẽ & incivilem. Quãdo hæc concurrunt, & aliarum artium scientia atq; usus á Rhetore conjungitur, præclarum & eximium opus quoddam existere certum est; sed hoc non solius Rhetoricæ beneficio. Troporum igitur & figurarum doctrinã, ut essentialem et sibi cognatam recte & jure Rhetorica sibi vindicat: Pronuntiationem vero minime. Nam hæc non ex natura vel medullis sermonis & verborum, sed aliunde sumitur ad exornandam orationem vel sermonem, neque semper, perpetuó, & omnem sermonem ornatum comitatur; cum & sermo scriptus, vel verba scripta, sine pronuntiatione consistere per se possint: imo etiam sonus quidam sine sermone, quãvis sermo sono & voce enuncietur. De habitu & gestu corporis, qui pronuntiationis species à Talæo dicitur, manifestius est hunc etiam tacentium esse; & dicetur latius infra cap. 7. seq. At pronunciatio seu sonus & vox orationem exornat? Ita est. Sed non quidquid sermonem orationemve exornat, statim Rhetoricum dici debet. Sic enim dispositio, prudentia & scientia artium reliquarum atque reliqua virtutes hominis, magnum sermoni & oratio-

ratio-

rationi ornamentum, decus, pondus & authoritate conciliant, quæ tamen ideo non germana, genuina & essentialia Rhetoricæ sunt dicenda; nisi praxin reliquarum artium Rhetoricam definire velis. Cicero & Quintilianus, & alii plerique ad perfectum oratorem constituendum & efformandum hæc requirunt, quos Pet. Ramus lib. 2. & 3. Scholarum Rhetoricarum refutavit. Quod si interne, similis modo quo tropi & figuræ, orationem pronuntiatio exornaret & afficeret, eodem quoq; cum hisce jure gauderet. Et quo jure Rhetorica pronuntiationẽ sibi vindicaret, quæ etiam Grãmaticæ communis; quæ quando agit de accentu acuto, gravi & circumflexo, nec non de vocalib. & consonantibus, literarum & syllabarum pronuntiationem informat, quæ scilicet diducto contractove ore efferri debeant. Quo jure etiam arti Musicæ doctrinam pronunciationis & formationem soni vocisve adimet & sibi adscribet? Dices forte Rhetoricam sibi ornatam pronunciationem sermonis arrogare, non simplicem, rudem vel musicorum sonorum doctrinam. hanc enim suis cujusque artis præceptis informari & doceri. Nego Rhetoricam tradere præcepta de ornata pronuntiatione; sed de pronuntiatione dicere, non ut illam exornet, sed ut illa oratio exornetur, ut hujus beneficio oblectet, moveat, persuadeat, atque illam tũ ex Ethica sumit, sicuti dispositionem & methodum prudentiæ ex Logica, puritatem sermonis ex Grãmatica, & res quas tractat ex aliis artibus, quibus conjunctis persuadeat et vincat. Pari ergo ratione de methodo

prudentiæ ex Logica, de puritate sermonis ex Grãmatica, & ex Physica de affectibus præcepta tradere posset, quibus mirifice oratio exornatur & persuasio attentioque apud auditores & gratia excitatur. Sed hoc est limites transilire, & aliena aliis eripere contra legem secundam artium informandarum. In usu & praxi omnes artes conjunguntur & invicem communicant, atque virum bonum, perfectum non solum Rhetorem, sed & Physicum, Logicum, I.C^tum^ & Theologum & Philosophum efficiunt. Non igitur, (ut repetam quod suprà dixi,) quidquid orationem exornat, vel pronunciationem, statim Rhetoricum dici debet; sicuti non quidquid utile, vel necessarium est ad Logicam percipiendam, intelligendam, vel exercendam, hoc statim Logicum haberi debet, & in Logica tradi, uti nec in aliis artibus: sed potius illud quod essentiale, genuinum & homogeneum, & ad finem summũ cujusq; artis tendit, illi inhæret perpetuoq; comitatur, neq; per se extra illã cõsistit; hoc, inquam, illius patrimoniũ & possessio dicitur, quæ illi sine injuria adimi & alii adscribi non potest. Hoc solum etiam reciprocum & catholicum præceptum artis constituit. Sed nunc ad pronunciationis præcepta revertamur.

Pronunciationis præcepta quędã sunt generalia, quędam specialia. Generale pręceptũ unum est de mediocritate, ne vox sit gravissima, neve acutissima, hoc est, in defectu, vel excessu peccet. *ut Talæus notavit.*

Specialia pręcepta pronunciationis sunt de voce

voce formanda in singulis verbis, vel tota sententia. Vocis & pronũciationis sonus in tota sententia, rursum alius in figuris, alius vero in affectibus.

Deinde vocis & pronunciationis sonus, alius in miseratione, alius in iracundia, alius in metu & verecundia, alius in voluptate & lætitia, alius in dolore, alius in aliis mentis affectibus pronunciandis.

In miseratione vox sit flebilis, flexibilis, plena & interrupta. In iracundia vox contraria, acuta, incitata & crebrò incidens. In metu & verecundia sonus vocis contractus, hęsitans & lentus. In dolore vox gravis, imò pressa & sono obducta & lachrymabilis. *Ecclesi. c. 38. 16. 17.* In risu & lætitia, vox pura & exultans.

Vox afflicta & tenera, dolorem, commiserationem & miseriam arguit. *Daniel. c. 6. 21. & adpropinquando ad foveam, Danielem voce tristi inclamavit, Ecclesiast. c. 4. 7. 8.*

In supplicãti quoq; & petente sit vox tenuis, demissa flebilis, humilis, lenis & mollis *Ecclesiast. cap 29. 5. Pro pecuniis propinqui submittit vocem. Proverbior. cap. 18. 23. Supplicationes eloquitur pauper: dives autem loquitur superbe. Esai. cap. 26. 16 Jehova, in ipsa angustia visitarunt te, fuderunt submissam orationem, castigatione tua premente ipsos. Judic. c. 8. 1. 2. 3. 1. Sam. c. 25. Ecclesi. c. 35. 16. 17. & seqq. 19. Oratio humilis viri transit nubes. Qua in re peccavit Joab. 2. Samuel. c. 19. 6. & seqq. 12. & seqq. cap.*

20.18 19. & seqq. *In ira quoq; lenienda, submissâ voce & humili utendum & molli. Proverb. c. 25. 15. Lingua mollis frangit osseum, durum & rigidũ.* Judic. c. 8. 1. *Sed dixerũt viri Ephraimita, qua est hac res quã fecisti nobis, nõ vocando nos, quum proficisceteris ad pugnã contra Midianitas? contenderuntq; cum eo valde, 2. Qui dixit eis, quid feci nunc, cujusmodi vos? nõne meliores sunt racemationes Ephraimitarũ, vindemiâ Abihezeritarum? 3. In manũ vestram tradidit Deus Principes Midianitarũ, Horebũ & Zecbum, quid ergo potui facere cujusmodi vos? Tunc destitit iratus illorum animus ab eo, cum loquutus esset verbũ hoc. Aliud exemplum extat 2. Sam. c. 25. ubi iratum animum Davidis, spirantis cadem & vindictam, prudẽs famina Abigaïl leni & submissa oratione sua mitigavit, & aliud, 2. Sam. c. 14. 8. & seqq. de Tecoïtide, qua Davidis animum ad clementiã & filii Absolomi revocationem commovit.*

Leni quoq; & benignâ voce utendũ in correctione & admonitione, *Galat. c. 6. 1. 2. Timoth. c. 4. 2. 1. Thessal. c. 5. 14. & erga superiores, Ecclesiast. c. 9. 19. Verba sapientum submissorum audienda esse potius, quam clamorem dominantis cum stolidis suis.*

Vox alta, vel clamor, hostilem tumultum & desiderium indicat, *Esa. c. 42. 2. 11. Attollant vocem desertum & civitates ejus, villa quas inhabitat Kedar, &c. & seqq. vers.* Jerem. c. 25. 30. *Tu itaque prophetato ad illos omnia verba ista, & dicas illis: Jehova ex alto rugiet, & ex habitatione san-*

sanctitatis suæ edet vocem suam, omnino rugiet in habitaculo suo: celeusma, quale est uvas calcantium, efferet contra omnes habitatores istius terræ.

Aliquando etiam indignationem demonstrat, *Mich. c. 6.* dolorem & cruciatum magnum, *Esa. c. 26.17. Ut pregnans propinqua partui dolet, exclamat in doloribus suis, ita fuimus à conspectu tuo* Jehova. *& vers.* 18. *Job c. 2.12. Sed ubi sublatis oculis suis é longinquo, non agnovissent eum, postea vociferantes fleverunt, & vers. seqq.* Aliquando quoq; vim & injuriam, *Esa. c. 5. 29. Rugitus ejus ut immanis leonis, rugiensque ut juvenes leones, fremet, &c. & vers. 30. Job c. 19. . En exclamans violentiam, non tamen exaudior, vociferanti non adest judicium, & vers. 16. Esa. c. 22. 4. 5. 6.*

Vocis elevatio est signum imperii, superbię & arrogantiæ, 2. *Reg. c. 18. 28. Itaque subsistens Rabschake exclamavit magna voce* Judaïce, *& locutus est dicens: Audite verbum Regis maximi, Regis Assyriæ. Ecclesiastic. cap. 9. 19. Verba sapientum submissorum audienda potius esse quam clamorem dominantis cum stolidis suis. Vocis elevatio cum risu, est stultitiæ nota. Ecclesiastic. c. 21. 23. Vocem suam stultus in risu extollit: vir autem solers, vix placidé est arrisurus. Clemens Alexandrinus libr. 2. Pædagog. cap. 7.* Uterque qui differit, vocem suam metiatur justa proportione atque moderatione. Elatus clamor pronunciationis est res insanissima. Cum proximis autem ita loqui ut non audiaris, ejus

est qui nullo sensu est prӕditus: estque ἀγεννείας, pusilli & abjecti animi. sicuti illud, αὐθαδείας, audaciӕ & arrogantiӕ. *Vide latius* Johan. *Guilielm Stuckium polyhistor. praestantiss. libr. 3. c. 19. conviv. antiqui. & Plutarch. De liber. educat.*

Vox fracta & enervata, fœminӕ propria est; *Stuckius d. loco, ex Clem. Alex. d. c. 7.* Cantilena unius tenoris ubiq; in pronunciatione, facietatem adfert & offendit. Varietas cõtrà delectat.

Vociferatio etiam demõstrat affectum hominis audiri cupientis, *Job c. 30. 5. è corpore expellebantur, vociferabantur homines contra nos, ut contra furem, & vers. 28. Ezech. cap. 25. 15. & seqq.*

Cantus est argumentum lӕti affectus, vel gratulationis, gaudii & lӕtitię. *Psalm. 70. 5. 6. Gaudeant & lӕtentur in te ac dicant jugiter, Magnificetur Deus amantes salutis tuӕ, & Psalm. 136. & 134. & seqq. & 67. 5. & Psalm. 12. 6. & Psalm. 88. 2. Exod. c. 32. & c. 15. Esa. c. 38. 20. c. 65. 13. 14. c. 51. 12. c. 59. 1. Sam. c. 28. Ose. c. 2. 15.* Quandoq; tamen est nota opprobrii & exprobrationis & convicii. *Psalm. 69. 13. Confabulantur de me sedentes in porta; & canunt odas lyricas, bibentes potum inebriantem,* Job. *c. 30. 9. nunc, inquam, modulatio istorum sum; & sum eis sermonis argumentum. Intra dentes cantillare, est argumentum hominis prӕsentes alios fastidientis.*

In officio deferendo, non vtendum verbis

bis vel pronunciatione morosa, aspera vel dura, sed amica & suavi. *Genes. cap. 24. 18. 19. 20. 31. 32. & seqq. Ubi exemplum sermonis benigni & suavis extat Rebecca, officia sua deferentis Abrahami servo, & Labanis excipientis eundem, & Genes. cap. 18. 3. 4. Exemplum Abrahami tribus Angelis prompte officia sua deferentis, & Judic. cap. 19. 18. 19. 20. 21. Levita a sene perhumaniter & benigne excipitur, Ruth. cap. 2. 8. 9. 11. & seqq. cap. 3. 1. 2. 3. & Ecclesiastic. cap. 4. 8. Inclina aurem tuam ad pauperem libenter, & responde ei mansuete verbis pacis.*

Lingua suavis, humana, & benigna, superat tibias & psalteria. *Ecclesiastic. c. 40. 21. Et suum venenum habet blanda oratio, ut Seneca dicit. Et hac pronunciatione & voce utens, ad cor audientis loqui dicitur, hoc est, qui blande & suaviter eloquitur, gratus est. Vide exempla, Genes. cap. 34. 3. cap. 50. 21. Judic. c. 19. 3. Ruth. cap. 2. 19. 2. Samuel. cap. 19. 7. 8. Esa. cap. 40. 2. Osea c. 1. 14. cap. 2. 13. 14. Ecclesiastic. c. 41. 25. Qua amica pronunciatione maxime utendum erga afflictos. 2. Reg. cap. 25. 28. Ecclesiastic. cap. 4. 3. 4. 5. & seqq. Et sapientibus adscribitur, Ecclesiastic. cap. 9. 19. Qua in re peccavit Nabal, 1. Samuel. cap. 25. vers. 10. 11. Ubi dure & aspere & inhumaniter afflicto Davidi respondet per nuntios ejusdem.*

In minis & correctione adhibetur vox aspera, dura & incitata. *Cicero libro 1. Officior. Objurgationes etiam nonnunquam incidunt ne-*

cessaria, in quibus utendum est forti & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Proverb. c. 18. 23. *Supplicationes eloquitur pauper, dives autem loquutur aspere. 2. Sam. c. 19. 2. 3. 4. & seqq. ubi ita proterve, dure, minaciter & aspere lugentem Davidem Magistratum suum alloquitur* Joab. *& vers. 42. 43. 44. Matth. c. 23. 13. & seqq. Va vobis Scribæ & Pharisæi, &c. Esa. c. 30. 1. Væ filiis contumacibus, dictum* Jehova, *&c. & c. 31. c. 33.*

Volubiliter & præcipitanter non loquendum. *vid. Clem. Alexand. lib. 2. Pæd. c. 7.* προχείρως καὶ συνδιωκομένως.

Qui præceps est sermone, odiosus est. *Eccles, c. 9. 22.* in quo lingua mentem præcurrere dicitur, cum præsumptione quadam stultitiæ. Quando itaque vides virum præcipitem verbis suis, de eo est melior exspectatio stultitiæ. *Proverb. c. 29. 20.* Addo, quod peccare soleat, qui præceps lingua est & inconsideratus in pronuntiatione. *Proverb. c. 19. 2.* & sibi nocere dicitur. *Prov. c. 21. 5.* Vocem & pronuntiatione præcipitem, nec non hæsitantiam, titubantiam & battologiam emendat mollis, sedata, explanata & lenta pronuntiatio.

Non convenit quoque sententiã & opinionem suã timide dicere, ut cũ molestia audiaris, maxime coram hominibus eruditis & intelligentib. *arg. Eccles. c. 4. 23. 24. 25. 28.* sed tamen non intrepide, confidenter, & audacter. *Eccles. c. 19. 21.*

Con-

Confessio proprii delicti spontanea, non extorta, est indicium hominis ingenui, pœnitentis & dolentis, & fatentis se justé puniri, & aliorum commiserationem excitat. Contrá veró negare & inficiari ea quæ sunt nota, est hominis impudentis & iram sibi conciliantis; quæ verecundia & subjectione mitigatur.

Rogare & deprecari, est hominis humilis, leniorem alium sibi reddentis.

Sunt etiam quidam soni & voces pronunciatæ, quæ affectus internos hominum tacite exprimunt; uti est ejulatio, gemitus, fremitus, anhelitus, risus, sibilatio.

Ejulatio est hominum plangentium & calamitosorum, *Esa. c. 65. 14. Ecce servi mei canent præ hilaritate animi. Vos autem clamabitis præ dolore animi, & præ contritione spiritus ejulabitis, c. 16. 3. Super tecta ejus & in plateis ejus quisque ejulabit descensurus cum fletu suo, & vers. seq. c.* 23. 1. 2. *Jerem. c.* 25. 30. 31. 34. 36. *Jac. c. 5. 1. Mich. c. 1. 8. & seqq. c. 2. 1. Corinth. c. 7. 30. Ezech. c. 30. 2. in Tremel. & Jun. vers. 7. Ejulate dicentes, Ah de die ista. & seqq. vers. & Ezech. c. 26.* 15. *& seqq.*

Fletus & planctus idem fere indicat & signum mæstitiæ & desiderii. *Psalm.* 137. *Esa. c. 22. 4. 5. c. 65. 19. Genes. c. 50. 4. Deut. c. 34. 8. Jerem. c. 48. 3. Jacob. c. 5. 1. sicuti & lachryma & lamentatio. vid. Lament. Jerem. c.* 1. *& seqq.* 2. *Sam. c.* 19. 1. 2. 3. *Eccles. c. 3. c. 4. Ecclesiastis c. 3. 4.*

Quandoque tamen lachrymæ signum im-

potentis lætitiæ. *Jerem. c. 50. 4. Diebus illis & tempore illo dictum Jehova, veniant filii Israelis ipsi cum filiis Jehudæ unà, indesinenter flendo eant & Jehovam Deum suum quærant. Genes. c. 45. 14. 15. Tum ruens in collum Benjaminis fratris sui, flebat. Benjamin quoq; flebat, ad collum ejus. 15. Osculatusq; fratres suos, flebat super eos. Et postea demum loquuti sunt fratres ejus cum eo, & c. 56. 29. Quumq; Joseph se adspiciendum obtulisset ei, irruit Jacob in collũ ejus, flevitq; ad collũ ejus diu.*

Gemitus est signum & index oppressionis. *Jacob. c. 5. 9. Ne ingemiscite alius adversus alium fratres, ut ne condemnemini, ecce judex ante januam adstat. Ezech. c. 24. 23. Et tiaris vestris indutis ad capita vestra, calceisq; vestris ad pedes vestros, non plangetis neq; flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris & gemetis alter cum altero, & Ezech. c. 26. 15. & seqq. c. 30. 24 Esa. c. 22. 4. 5. & seqq. c. 38. 14.* Ut *grus, aut hirundo, ita pipiebã, Psalm.* 102. 6. *Præ voce gemitus mei adhærescit os meum carni meæ. Prov. c. 29. 2. Nehem. c. 2. 7.*

Quandoq; ingemiscere significat συμπαθεῖν & cõmiserationem. *Marc. c. 8. 12. Iste vero cum alté ingemuisset spiritu suo, dixit.* & quandoque pœnitentiam. *Prov. c. 5. 11. Gemasq; tandẽ consumta carne tua & corpore tuo.* 12. *ac dicas, quomodo odi eruditionẽ & correctionem sprevit animus meus?* & quãdoq; coactionẽ, *Ezech. c. 26. 15.*

Fremitus & rugitus vocis significat vehementem & alacrem animũ, valdé cõmotum, incitatum & fortem in bello, *Esa. c. 42. 13. Jerem. c. 25. 30.*

Anhe-

Anhelare est hominis anxii & soliciti, *Jeremiæ c. 4. 31. Vocem filiæ Sionis subinde anhelantis, &c.*

Risus in voce arguit gaudium, felicitatem & voluptatem. *Genes. c. 17. 17. c. 21. 6. Proverb. c. 14. 13. Job c. 8. 21. Luc. c. 6. 21. 25. Jacob. c. 4. 4. Proverb. c. 29. 9. Psalm. 126. 2 5. 6.* & quandoq; admirationem. *Roman. c. 4. 17. Genes. c. 17. 14. 15. 16.* Quandoq; irrisionis, insultationis & contemptus indicium præbet. *Psalm. 52. 8. Quod videntes justi reverebuntur, & de isto ridebunt, dicentes, &c. Ecce virum illum, &c. Psalm. 2. 4. Sedes in cælis ridet, Dominus subsannat eos. Habacuc c. 1. 10. Job c. 19. & c. 30. 1. Nunc autem rident me minores me tempore qui sprevissem parentes eorum apponere canibus gregis mei.*

Risus si justo debitoque modo proferatur, κοσμιότητα, hoc est, decorum & honestatem: sin minus, ἀκολασίαν, id est, intemperantiam præ se fert. *Plato De legibus.* In ipso risu dicit maximum inesse signū tum grauitatis, tū levitatis: Nam quia est vehementissimus motus & impetus natus, videmus quosdā in eo genere dissolute effuseque ridere, ut modestia in his desideretur.

Risus igitur non nimis intentus, effusus, aut immoderatus esse debet, in quo est vultus decora & concinna remissio, ita ut in vultu modestia appareat & resideat. Alius est risus immoderata & inconcinna vultus dissolutio. qui est, risus solutus; qui in mulieribus dicitur

κιχλισμός in viris, καγχασμὸς, cachinnatio. Priorem risum moderatum, Græci vocant ἐμμελῆ, εὔκρατον καὶ σώφρονα. Alter ipsis dicitur risus ὀκμολὴς, τοῦ προσώπου ἔκλυσις, *Clem. Alexand. d.c.5. lib. 2. Pædagog.* Non oportet etiam risum esse tristem, sed gravem & cogitantem. Si de rebus turpibus excitatus est, erubescere potius videri debet, ne per consensum assentiri vel lætari videatur, si de rebus molestis, tristitiæ potius quam lętitiæ speciem præ nobis in risu pręferre debemus. Illud λογισμοῦ τεκμήριον: Hoc crudelitatis suspicionem adfert. *Clemens Alexand. d.c. 5. Ecclesiast. c. 7. Melior est indignatio risu; quia tristis vultus pariet lætum cor. Et paulo post: Qualis est sonus spinarum sub olla, talis est risus stulti: id quod etiam est vanum. & vers. 21.*

Solum, aut ob nullam evidentem caussam ridere, vel stultitiæ tribuitur, vel insaniæ. Si quid tamen ejusmodi fuerit obortum, civilitatis erit aliis aperire risus causam: aut, si non putes eam proferendam, aliud afferre debes, ne quis se derideri suspicetur. *ut Erasmus monet.*

In calamitoso risus etiam injuria est, *vide Ecclesiast. c.2.3.*

In risu vocem extollere, stulti hominis est indicium, *Ecclesiast. c. 31. 23. Vocem suam in risu stultus extollit: vir autem solers vix placidè arrisurus est: itaq; à cachinnis istis fatuis, agrestib. & insulsis est abstinendum. Nam risus immodicus reprehensibilis, si pueriliter effusus, vel muliebriter fractus. Ideo Seneca dicit, hominem risum facere*

cere odibilem, quando est superbus, clarus, malignus, furtivus, aut alienis malis evocatus.

Ridere ad jocos & dicteria à te ipso prolata, est hominis se ipsum laudantis; siquidem auscultantis est, non dicentis ridere.

Cachinni & clamores & frequens exscreatio, indicant habitum animi soluti, & securi & stulti. Et ideo stultorum voces sunt, *Risu diffluo, dissilio, emorior, &c.*

Sibilatio est irridentis & insultantis hominis, *Esa. c. 5. 26. c. 7. 18 Jerem. c. 25. 9. Ezech. c. 27. 36.*

Quæ autem dicenda sunt, ea prudenter & distinctè proferenda tonò & sono distincto, *1. Cor. c.* 14. *7. 8. 9.* neque res diversæ & valdè dissimiles inter se conjungendæ. Vitium igitur est eodem tono pariq; mora, omnes syllabas pronuntiare, paribusq; intervallis, quasi syllabæ singulæ singulas voces absolverent; quod est latrare, non loqui.

In sermonis pronuntiatione neque ita lentus eris, ut aliquis in mensa, qui omnium rerũ est satur; neque ita avidus, ut quispiam famelicus: sed ita loquêris & pronunciabis, ut homo moderatus facere consuevit, literas aut syllabas cum convenienti quadam dulcedine, sed ita tamen, ut non more pædagogi alicujus, qui in ratione legendi & literas conjungendi pueros informat, enunties. Neq; verba instar manducantium, dentibus conficies, vel ea inter se conglutinata & compacta quasi deglu-

ties: neq; literæ vel ſyllabæ exprimendæ ultra modum, qui eſt mocaciſmus; neq; ſupprimendæ, quę eſt *ἰχνότης. Eraſm. De pronunt.*

Vitia pronunciationis enumerat Eraſmus in libello De pronunciatione ex Ariſtotele. ex quibus ſunt ſequentia:

Labdaciſmus, qui eſt impotentia ſonandi literam *R.* uti *pellucidum*, pro *perlucidum*; *pellegere*, pro *perlegere*; *Valeſius*, pro *Velerius*, *Fuſcus*, pro *Furius*.

Jotaciſmus, quo literæ cognatæ mutantur, uti, pro *jecit*, *gecit*, pro *ejicio*, *egicio*. pro *e*, *i*, & pro *a*, *o*.

Ψελλισμός, qui eſt impotentia exprimendi literæ *S*, unde blæſi.

Τραυλισμὸς vel βατταρισμὸς, qui eſt iteratio ſyllabę, ut pro *cave*, *cacave*, pro *Tullius*, *Tutullius*, pro *Roma*, *Romama*. Huic vitio cognata eſt βαττολογία, Titubantia, & hæſitantia, μογιλαλία.

Κοιλοστομία eſt, qua vox velut é cavo ſpecu atque oris receſſu reſonat.

Ἰχνότης, eſt exilitas & anguſtia qua vox labiis ſemicluſis promitur. cui contrarium eſt, cum nimium diductis faucibus & ore plus ſatis patulo ſermo promitur ſono pinguiore & craſſiore. Græcis dicitur πλατειασμός.

Sunt etiam corvicines, quib. ſonus per naſum erumpit potius quam per os.

Gargariſmus eſt, quo ſermonis tenor quaſi interciditur ructu quodam, ſingultu, crepitu,

ſtri-

ſtridore, ſibilo, gemitu, ſcreatu, tuſſi vel riſu inter loquendum.

Porro pronũciatio ſecundum patrium morem formanda eſt, etiamſi hoſpes aliquis idioma ſeu Dialectum illam non intelligat, *argum. 1. Corinth. c. 14. per tot.*

Valde igitur incivile & indecorum eſt, affectare in pronunciatione peregrinam Dialectum, ut puta, quando Germanus Belgicè & Belga Germanice, & Bavarus Weſphalicè, & hic Miſnicè ſermonis ſui pronunciationem & locutionem formare vellet, 1. *Corinth. cap. 14. 9. Ita & vos niſi per linguam edideritis benè ſignificantem ſermonem, quomodo cognoſcetur quod dicitur? Eritis nimirum in aërem loquentes, & v. 11. & ſeqq.* Loquendum ergo cum multis & ſentiendum cum paucis. Omnis enim affectatio enunciationem reddit obſcuram & ingratam, imo de contemptu uſitatę linguæ ſuſpectam.

Plebejus quoque non more nobilium & patriciorum, atq; aliorum eruditorum hominum pronunciationem ſuam formare debet, neq; hi ad conſuetudinem & morem ruſticorum & artificum ſuam dialectum, vel elocutionem inſtituere.

In pronunciatione ſeipſum auſcultare, φιλαυτίας ſuſpicionem præbet. Et inter oſcitandum ſermo non continuandus.

CAP. VII.
De habitu & gestu naturali hominis loquentis & audientis.

HActenus de usu sermonis in communi Ethica. Sequitur nunc de actionibus hominis.

Actio igitur, sive habitus & gestus hominis communi Ethicę & civili conversationi inservientes, sunt motus situsque corporis, ex quibus hominis mores, affectiones internæ, bonę malæve, vel status, aut conditio vitæ, cognoscitur quoad virtutes & vitia.

Ejusmodi habitus & gestus hominis male & contra legem justitia Rhetorica essentialis dicitur, & pejus pronunciationis species, aut pars constituitur. Nam quidquid est Rhetoricũ, hoc semper necessario & omnem orationem exornare debet & inesse sermonis natura, ita ut separatim sine oratione per se consistere non possit. At gestus & habitus hominis, non semper & necessario ornant orationem, atq; per se etiam & separatim consistũt & considerari possunt, licet sermo, vel oratio nulla habeatur; cum etiam tacentibus gestus & habitus adscribatur, ut cap. 8. latius dico: & gestus quidã sint orationem non exornantes, & quidam etiam eandem deformantes. Unde etiam apparet, habitum & gestum ad summum illum finem & scopũ Rhetorica non semper collimare, qui est, ut ornate dicere doceat. Quod vero praeceptum Rhetoricum non bene dicere semper & perpetuo, necessario & univer-

universaliter docet, id huic non essentiale, vel homogeneum, sed heterogeneum & alienum à Rhetorica: neq; κατὰ παντὸς, neq; καθ' αὑτὸ, neq; καθόλου πρῶτον. Habitus ergo Rhetorica non est. Sed actiones & gestus forte Jurisprudentiæ, Theologiæ practicis artibus adscribes, in quibus benè & rectè operandi, agendi & tractandi præcepta traduntur, & in quibus omnino actione opus, si exercitium & usum earum spectaveris: sine qua actione, usu & praxis earundem consistere nequit. Ita est. Distinguendum vero existimo inter actiones, usum & exercitium reliquarum artiũ, & Ethicæ. Non est enim hujus & cæterarum actio eadem, sed dissimilis & longè alia. Nam actiones hominum, ut rectæ bonæve sint, reliquis artibus docetur, quæ eas informant bonas, rectas & justas. Ut vero decoræ, venustæ, concinnæ, civiles & urbanæ sint, sola Ethica; sic Logica informat rationem, ut ea bene utamur, tam in inveniendis argumentis, quam inventis disponendis & judicandis. Hæc extra suam praxin in nuda speculatione consistit: in praxi vero & actionibus sola non est, sed reliquarum artium materiam tractat. Sic Jurisprudentia docet quæ actiones justæ & æquæ sint, quæq; iniquæ, injustæ, & quæ hominum societati colendæ conservandæq; aptæ, convenientes & necessariæ, quæque contra inutiles & perniciosæ; idq; tractat in distributione præmiorum & pœnarum, quibus utrasq; actiones remuneratur. Theologia verò tradit, quæ hominum actiones sint sanctæ, piæ, salutares & necessariæ ad vitam æternam consequendam: quid

fides, pœnitentia; bonum, sanctũ, pium opus, quid regeneratio, quæ sigilla gratiæ divinæ. Physica doctrinam operationum & actionum rerum naturalium continet. Quomodo vero & qua ratione actiones hominum justæ, piæ vel naturales in superioribus artibus informatæ, decoré, venustè & civiliter & decenter fiant, sola Ethica præscribit. Fieri enim potest, ut aliquid justé, rectè, pié sanctè, naturaliter fiat, quod tamen minus decore & rite fiat, habitâ ratione rei, personæ, loci, temporis & aliarum circumstantiarum Si quid injustè fit, pœna in jure præscripta est. Unde tota materia maleficiorum exorta, & Jurisprudentiæ propria & Magistratui concessa, ut puniat. Si quid contra fidei analogiam creditur, vel agitur non Christiane, hoc Theologi verbis & reprahensionibus & admonitionibus indicant; sed non quomodo bona actiones remunerandæ neque quomodo impia puniendæ; vel quomodo ad societatem humanam externamque disciplinam colendam & conservandam, actiones hominum sint instituendæ præscribit, vel tradit. Hoc enim I.C.torum traditiones, & precepta Jurisprudentiæ abunde docent, quæ cum Magistratus proponit, etiam ob conscientiam hisce obtemperandum Theologi docent cum Apostolo. Sic, si res naturalis non habeat suas naturales vires & operationes, quas ordinatione divina accepit; si degeneret, labefactata, corrupta, vel alterata sit, hoc physicus perpendit & examinat, & Medicus postea ad naturalem habitum reducere conatur. Quod si quid incivili-

ter,

ter, agreste, inconcinne fit, hoc Ethicus ex sua arte judicat & reprehendit, sed (uti & Theologus) non punit aut quomodo punire debeat, præscribit. Neq; etiamsi Jurisprudētia decorum civilitatemq; morum remunerationē dignā judicet; id tamen quod inciviliter, vel indecore factum est, si modo justū, rectum, vel æquū sit, non punit. Hæc .n. illa tantum persequitur & tradit quæ ad hominum societatem tuendam conservandamq; faciunt; non vero quæ ad illam decorandā, quæ solius sunt Ethicæ. Neq; enim societatem humanam ejusve continuationē & cōmune bonū turbas, si quid non decore, vel venuste aut civiliter feceris, quod per se aliàs justum & pium. Quæ igitur in Jurisprudentia, vel cæteris artib. tradūtur præcepta, necessaria & utilia sunt humano generi; quæ in Ethica vero, illa tātum honestatem, voluptatē, decorum & urbanitatē respiciunt; qua ratione etiam utilia dici possunt; quos limites hæc non egrediūtur. Atq; ita intra proprios & essentiales cujusq; artis fines, hæ sunt regendæ & coërcendæ, ne alienam possessionem sibi usurpent. Sed jam pergamus dicere de habitu & gestu.

Ex habitu igitur & gestu hominis, variè de ejusdem affectibus, tam bonis quam malis, tam virtutibus quam vitiis, variæ, inquā, sumuntur conjecturæ. *Nam ut sapiens Ecclesiast. c. 19. 26. ait, Ex aspectu cognoscitur vir; & ex obvia personæ specie, cognoscitur quà valet mente. & vers. 27. Ornatus viri & risus dentiū, gressusq; hominis, enunciant constitutionem ejus. & vers. 19. & Idem Eccl. c. 13. 30. Cor hominis mutat vultū ipsius, sive ad bona spectet, sive ad mala, nā animus virescēs in*

delectatione bonum vultum efficit, & verſ.ſeq. & latius de hiſce vide in c. 25. 21. c. 31. 12. & ſeqq. & Eccleſiaſt. habet in cap. 19. 18. & ſeqq. Proverb. c. 23. 29. 20. & ſeqq. & c. 25. 23. Et mala mulier ex habitu & actione ſua deſcribitur, Eccleſiaſt. c. 26. c. 36. 25. 26. 27. 28. & tot. c. 25. & habitus pigri. Proverb. cap. 19. 24. cap. 26. 13. 14. 15. 16. Conſtantis & placidi viri, Proverb. c. 17. 24. c. 22. 9. c. 11. 2. Impii, Proverb. c. 16. 28. 29. cap. 17. 25. c. 10. 10. c. 6. 13. c. 26. 12. c. 7. 10. 11. c. 6. 13. ubi homo nequã dicitur nictare oculis ſuis, facere verba pedibus ſuis & docere digitis ſuis. & Apoſtolus Tit. c. 2. 3. dicit, anus ſint habitu qui ſanctimoniam deceat. Et Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 6. dicit; Qui ſe inſolenter, inhoneſtè & inconcinne gerit, facit iſte, ut meditemur inhoneſte facere. Et Cic 3. De orat. Omnis motus animi ſuũ quendã a natura habet vultũ, & ſonũ & geſtum.

Refert Apulejus 1. Apologia, Socratẽ diſcipulis ſuis ſuaſiſſe, ut crebro ſe in ſpeculo contemplarentur, ne dignitatem corporis malis moribus dedecorarent: &, Demoſthenem ſemper ante ſpeculum quaſi ante magiſtrum cauſſas meditatum, & pronunciandi congruentiam a ſpeculo didiciſſe. vide Senec. 1. natural. & De quatuor virtutib. in Continentia ait: Si continens es, animi tui motus corporisq; obſerva, ne indecori ſint. De quibus omnibus generaliter hîc monuiſſe ſufficiat.

Eſt aũt in geſtibus ea dignitas ſervanda, quę tacendo loquitur, & quaſi mandãdo in ſui admirationem & reverentiam alios conſtringit. Dein-

Deinde, perpetuò hîc regula illa observanda, ut talem quis se habitu & gestu exhibeat, qualis cupit videri; & talis revera intus sit, qualis apparere exterius cupit.

Tertiò, gestus & habitus nostri ita comparati esse debent, ut aliquam reverentiæ præclaræq; de iis, apud quos sumus, existimationis significationẽ testentur, non desideriis, vel sensibus aliorum contrarii. Contra igitur habitus, qui indicãt, non amari, vel æstimari alios, quibus cum conversamur, fugiendi: Inprimis ex quib. indicia ὀλιγωρίας elucent, contemtus, despicientia, incommodatio, contumelia, & studium aduersandi.

Quartó cavendum hîc, ne quis quo ad habitum in defectu peccet & fiat instar statuarũ immobilium; vel in excessu, simiarum instabilitatem frequentiâ gestuum, & libertate nimiâ repræsentet.

Quintó cavendum omnino, ne actiones & habitus ejusmodi, notæ esse possint & indicia existimationis læsæ & ignominiæ imaginationem & significationem habeant, ut pudorem agentibus incutere possint. Uti, *Non facere aliquem participem istarum rerum, quarum participes fecit omnes pares, vel plurimos. Non sustinere velle vel posse labores, quos delicati, seniores, vel nobiliores sustinent. Neq; scire quæ omnes sui ordinis sciunt; vel pati quod probrum & ignominiã adferre possit: qualia sunt, fœda illa corporis obsequia & ministeria in reb. inhonestis & turpibus.*

Habitus autem sive gestus sunt duplices: Quidam enim sunt insiti; quidā adsumpti habitus, *1. Corinth. c. 11. 13. Apud vos judicate, num decorum est mulierem non opertam Deum orare. 14. An ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit? 15. Contra vero mulieri comatam esse decori sit. nam coma pro velamento data est ei, & c. 14. 40. Omnia decenter & ordine fiant.*

Insiti sive naturales habitus sunt, qui naturę vi cogente, ex hominum affectionibus naturalibus proficiscuntur. Unde fit, ut omnibus nationibus ejusmodi sint communes, atque perpetuam & certā apud omnes significationem habeant. Nam iisdem omniū animi motibus concitantur, & eos iisdem notis etiam in aliis agnoscunt & in se ipsi iudicant, *ut supra c. 1. in fine generaliter monui. Cicero lib. 1. Offic. Nos autem naturam sequamur, & ab omni quod abhorret ab ipsa oculorum auriumque approbatione fugiamus. status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum.*

Insiti ejusmodi habitus & gestus, sunt duplices. Alii enim hominis loquentis vel audientis, alii silentis ut plurimum.

Gestus loquentis sunt, qui ejusdem verbis eorumque sensui sunt adcommodati.

Hujus præcepta respiciunt totum hominis loquentis corpus, vel partes ejusdem.

Totum corpus hominis; ut nimirum hujus

jus virilis sit gestus in masculo, & muliebris in fæmina; & status corporis secundum naturam erectus & excelsus.

Ergo contrà, omnis gesticulatio, mutatio & vacillatio, indecora & incivilis.

Præcepta partes corporis respicientia, sunt de capite, fronte, oculis, brachiis, manibus, digitis.

De capite præceptum est, ut sit demissum, quo modestia & metus quidam significatur; eóque versum quo sermo dirigitur, exceptis iis quæ aut damnanda sunt, aut removenda: tum enim illius aversione aversari aliquid cognoscimur.

Frons, oculi & vultus, imaginem affectionis internę seu animi bene vel malé affecti prębent. hęc itaque membra secundum affectum quem in aliis loquens excitare vel insinuare & generare vult, conformare & fingere debet. Vultus enim ac frons, animi est janua, quæ significat voluntatem abditam & re trusam. & Cicero 3. De Oratore: Oculi sunt, quorum intentione, tum conjectu, tum hilaritate motus animorum apte significemus.

Inter loquendum oculi intenti spectabunt placide in eum, cui loqueris.

Manus inprimis loquenti adjuvat, quando secundum affectus naturales rei seu negotii, de quo sermo habetur, regitur & gubernatur à loquēte. Ex hisce cōstat quę vitia loquēti seu sermonem habenti homini sint fugien-

da; nimirum, ut non caput titubet, oculisve limis, seu intuitu obliquo, adspiciat eum, cum quo loquitur; vel altero oculo in frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, *Proverb. c. 4. 25.*

Vultum in varios habitus, ut instar Protei, transformare, corrugare nasum, contrahere frontem, attollere supercilia, distorquere labra, diducere os, aut premere, capite concusso jactare comam, scabere caput, aureis scalpere, suffricare occiput, rotato capite negare, reducto accersere, & breviter gestibus & nutibus loqui, indecorum.

Deinde non os distorqueat, non sputo suo faciem ejus, cum quo loquitur, adspergat; neque ronchos ducat neque cantillet, neque pituitam naribus propendentem cũ sono quodam ingratissimo subinde retrahat, neque manus inter loquendum agitet, instar muscas à se depellentis; neque ita prope adstet alii, ut suo illum halitu contingere possit; cum invenias etiam qui alterius animam, etiam non graveolentem, ferre nequeunt.

Neque labra inter loquendũ subinde lambenda vel mordenda; vel inter oscitandum, sermo ore hiante continuandus.

Ventrem & pectus proiicere, valde quoq; incivile & indecorum est; sicuti & pedibus in dextrum, vel lævum latus vacillare, alternis pedibus insistendo, vel discursare, ridiculum est.

Odio-

Odioſum & moleſtum valdé eſt, quando loquens ſubinde eidem cum quo loquitur, fodit latus & cubito ſuo ad interrogationes ſuas, vel intentionem & auſcultationem ſtimulat.

Vehemens contentio pro inani verborum victoria, valde indecora eſt & proclivis ad tumultum & perturbationem. *Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 7.*

Poppyſmata, ſibili, digitis expreſſi ſoni, quibus accerſuntur famuli, cum ſint rationis expertes ſignificationes, ratione præditis hominibus vitandi ſunt. *Clemens Alexandrin. d. lib. 2. cap. 7.*

Indecorus riſus habetur qui oris rictum laté diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dentibus; qui caninus eſt & Sardonius dicitur.

Ad tertium etiam verbum exſpuere indecorum; ſicuti & identidem inter loquendum tuſſire, vel ad tertium quoq; verbum eructare vel ſcreare, naſum emungere, demulcere faciem, humeros diducere, jactare brachia, ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, geſticulari digitis, pedibus vacillare, toto corpore loqui, incivile.

In auditione quieta vultus conſtitutio, hominem conſtantem & prudentem arguit, qui continenter, patienter & verecunde audit loquentem, is quod utile eſt in ſermone percipit & falſum facilius deprehendit, & veritatis ſtudioſus habetur, non contentionis cupidus.

Gravitas ſupercilii in audiendo vultus pa-

da; nimirum, ut non caput titubet, oculisve limis, seu intuitu obliquo, adspiciat eum, cum quo loquitur; vel altero oculo in frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio, *Proverb. c. 4. 25.*

Vultum in varios habitus, ut instar Protei, transformare, corrugare nasum, contrahere frontem, attollere supercilia, distorquere labra, diducere os, aut premere, capite concusso jactare comam, scabere caput, aureis scalpere, suffricare occiput, rotato capite negare, reducto accersere, & breviter gestibus & nutibus loqui, indecorum.

Deinde non os distorqueat, non sputo suo faciem ejus, cum quo loquitur, adspergat; neque ronchos ducat neque cantillet, neque pituitam naribus propendentem cũ sono quodam ingratissimo subinde retrahat, neque manus inter loquendum agitet, instar muscas à se depellentis; neque ita prope adstet alii, ut suo illum halitu contingere possit; cum invenias etiam qui alterius animam, etiam non graveolentem, ferre nequeunt.

Neque labra inter loquendũ subinde lambenda vel mordenda; vel inter oscitandum, sermo ore hiante continuandus.

Ventrem & pectus proiicere, valde quoq; incivile & indecorum est; sicuti & pedibus in dextrum, vel lævum latus vacillare, alternis pedibus insistendo, vel discursare, ridiculum est.

Odio-

Odioſum & moleſtum valdé eſt, quando loquens ſubinde eidem cum quo loquitur, fodit latus & cubito ſuo ad interrogationes ſuas, vel intentionem & auſcultationem ſtimulat.

Vehemens contentio pro inani verborum victoria, valde indecora eſt & proclivis ad tumultum & perturbationem. *Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 7.*

Poppyſmata, ſibili, digitis expreſſi ſoni, quibus accerſuntur famuli, cum ſint rationis expertes ſignificationes, ratione præditis hominibus vitandi ſunt. *Clemens Alexandrin. d. lib. 2. cap. 7.*

Indecorus riſus habetur qui oris rictum laté diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dentibus; qui caninus eſt & Sardonius dicitur.

Ad tertium etiam verbum exſpuere indecorum; ſicuti & identidem inter loquendum tuſſire, vel ad tertium quoq; verbum eructare vel ſcreare, naſum emungere, demulcere faciem, humeros diducere, jactare brachia, ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, geſticulari digitis, pedibus vacillare, toto corpore loqui, incivile.

In auditione quieta vultus conſtitutio, hominem conſtantem & prudentem arguit, qui continenter, patienter & verecunde audit loquentem, is quod utile eſt in ſermone percipit & falſum facilius deprehendit, & veritatis ſtudioſus habetur, non contentionis cupidus.

Gravitas ſupercilii in audiendo vultus pa-

rum jucundus, oculi vagi, corporis circumactio indecora, femorum inter se permutatio, sed & nutus & susurrus, ad alterum subrisio, & somnolentæ oscitationes ac demissio vultus, & quidquid tale est, in vitio ponitur & accurate cavendum. *Plutarch. De auditione.*

Invidia & livor pessimus adsessor & consiliarius auditori, & dicta molesta & injucunda efficit, & judicium eorum invertit, abripit & attentionem adimit, & memoriam & recordationem dictorum abolet.

In usu sermonis prius est accipere recte quã emittere, sic ut conceptio & retentio fœtus, partum antecedat. Accipimus veró & haurimus sermones auribus. Nam auris est janua, quâ aditus ad animum virtutibus & vitiis datur. Ideoq; vacua illa à pravis sermonibus servanda, & à nugis, sed necessariis & utilibus & honestis aperienda.

Ubi corrigendæ vitæ gratia sermone acriter arguente quis utitur, tanquam medicamẽto mordente, ibi non audire submisse, neque pudore animum accensum vertigine corripi & pudore suffundi; sed immotum audire, diductisq; in risum labiis dissimulare dolorem, est signum mali hominis à verecundia omni alieni.

Contrà correptus & reprehensus, ob verecundiam nimiam dolorisq; morsum fugiens, neq; se curari sustinens, nimis ille delicatus, mollis & desperabundus dicitur. Cum etiam imme-

immeritæ correctiones homini forti perferendæ & sustinendæ. Et falsè in se jactum aliquod dictum, citra tamen injuriam, cum facetia, ferre sine dolore & hilaré, nō sit indignum ingenuo & disciplinam experto homini, sed omnino liberale.

Præterea inter loquentem & audientem, quædam debet esse proportio, quemadmodū in pilæ ludo, qui excipit, jacienti se motibus corporis concinnè adcommodare solet. Dicenti igitur se adcommodare & attentionem loquenti adhibere convenit, ne quid utiliter dictorum effugiat.

Ideoque molestus & importunus est auditor, qui nulla orationis parte movetur & delinitur, repletis fastu quodam, invidia, & insita sui solius approbatione, veluti qui aliquid iis quæ dicuntur melius dicere se posse præ se ferat: cum neque supercilium pro decoro moveat, neq; ullam emittat vocem, quę eam animo æquo audire testetur, sed silentio & fictitia gravitate, atque habitu opinionem venetur constantis & profundi hominis, qui contemptu suam gravitatem metiatur. *Plutarch. De auditione.*

Cap. VIII.

De habitu & gestu naturali singulorum hominis membrorum.

Atque hi sunt habitus naturales hominis loquentis. Sequitur de illis, qui ut plu-

rimum sunt silentis; qui licèt quandoque loquentem comitentur, diversam tamen à sermone dicentis rationem habent.

Atque ejusmodi rursum sunt in hominis membris singulis, vel in toto corpore ejusdẽ.

Nativi habitus qui sunt in singulis hominis membris, spectantur in ejusdem capite, fronte, cervice, capillis, auribus, oculis, ore, labiis, osculo, lingua, barba, dentibus, facie tota, vultu, collo, humeris, brachiis, manibus, digitis, dextera, tergo, lumbis, cruribus, genibus, pedibus, & colore hominis: de quorum singulorum habitu, item, malo bonove ordine dicemus hoc capite.

Velatio capitis est habitus & gestus hominis melancholici, mæstitia, dolore, vel pudore affecti, aliorum occursum, colloquium & consolationem declinantis, 2. *Sam. c. 15. 30. David autem ascendit per clivum montis olivarum, indesinenter flens, opertus capite suo & pergens discalceatus; similiter totius populi, qui erant cum eo, operuerant quisq; caput suum & ascendebant indesinenter flendo. c. 19. 5. Rex verò obvolverat faciem suam, & clamabat Rex voce magna, Fili mi Absalom, Absalom, fili mi. Eze. c. 24. 17. Clamare desiste, mortuorum luctum ne facito, tiaram tuam alliga tibi, & calceos tuos apponito pedibus tuis: neq; obvelato mystacem, & cibum ullorum ne comedito. Ester c. 6.* 12. Jerem. *c. 14. 3. Etiam magnifici eorum revertentur suis vasis vacuis: erubescent & pudore suffusi, operient caput suum.*

suum. 4. Propter terram attritam, eo quod non fuerit pluvia in terra, erubescentes agricolæ operient caput suum. Levit. c. 10. 21. Joh. *Guil. Stuck. lib. 2. c. 28. Convival. antiquitat.* Quandoq; etiã habitus eorum qui gratiâ exciderunt. *Ester d. c. 6. 12. Postea reversus est Mordecai ad portam Regis: Haman vero proripuit se domum suam, lugens & opertus capite. ubi* Jun. *Est. c. 7. 8. Simulatq; verbum hoc prodiit ex ore Regis, faciē Hamanis operuerunt satellites.* Job *c. 9. 24.* In uxore autem velatio capitis, est habitus notãs subjectionem, *1. Corinth. c. 11. 3. 4. 5. 6. 13. Apud vos judicate, num decorum est mulierem non opertam Deum orare? 14. At ne natura quidem ipsa hoc vos docet, quod viro quidem comatum esse dedecori sit, 15. Contra mulieri comatã esse decori sit. Nam coma pro velamento data est ei. Genes. c. 20 16. & c. 24. 65. Alexand. ab Alexand. lib. 2. Genial. dier. c. 29.*

Capitis demissio est habitus luctus, doloris & humiliationis, *Esa. c. 58. 5. An hujusmodi esset jejunium quod eligo, dies quo homo affligit animã suam? an incurvare, ut juncum, caput suũ? an ut quis cilicium ac cinerem sibi sternat? Genes. c. 4. 6. Tum dixit* Jehova *Caino, quare accensa est ira tua? & quare cecidit vultus tuus? Eccles. c. 4. 7. c. 7. 4. 5. 6. c.* 8. 1. *c. 16. 13. c. 20. 39. c. 13. 10. & seqq.*

Caput erectum & altum gerere, est habitus victorum; *Esa. c. 35. 10. & c. 51. 11. Luc. c. 21. 28. Cum autem hæc fieri incipient, suspicite*

& attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestri, Psalm. 83. 5.

Caput depilatum & humerus levis, magni & assidui laboris argumentum & nota est. *Ezech. c. 30. 2. Omne caput decalvatum est, & c. 7. 18. In omni facie erit pudor, & in omnibus capitibus ipsorum calvitium, Esa. c. 3. 19. 20.*

Movere caput solent, qui alienam calamitatem admirantur, vel irrident & ludibrio habent alios, *Jerem. c. 18. 16. Ut exponam terram desolationi sibilis perpetuis: quisquis transiturus est per eam, obstupescat & agitet caput suum, Ecclesiast. c. 2. 16. Psalm. 44. 15. Posuisti nos parabola argumentum in gentibus, agitationis capitis in nationibus, & Psalm. 109. 25. Insuper ego probro sum illis: Videntes me, movent caput suum. 2. Reg. c. 19. 21. ubi notat Junius. Psalm. 22. 8. Omnes videntes me subsannant me, diducunt labium, movent caput. Job c. 16. 10. Matth. cap. 27. 39. & seqq. Marc. c. 15. 29. 30.*

Capillorum capitis evulsio & laceratio, est habitus arguens indignationẽ, luctum & dolorem. *Hesra c. 9. 3. Itaq; audiens rem hanc, laceravi vestem meam & pallium meum, & vellens de capillis capitis mei & barba mea, sedebam desolatus, & seqq. Jerem. c. 16. 6. & c. 47. 5. Mich. c. 1. 16. Levit. c. 19. 27. c. 21. 5. Deut. c. 14. 1. 2. Jerem. c. 7. 29. Genes. c. 41. 14. c. 50. 4. Est. c. 4. 2. Job c. 4.*

Annuere capite, vel manu, est habitus hominis affirmantis & approbantis, *Luc. c. 1. 62*

Innue

Innuebant autem patri ejus, quid vellet eum vocari, c. 5.7. Et innuerunt sociis qui erant in altero navigio, ut venirent & sibi opitularentur. Contrá, capite renuere & id circumflectere, habitus est improbantis & negantis.

Habere caput asperum, intonsum, vel incultum, est habitus negligentis, & pertæsi hominis. *vid. Senec. lib. 1. epist. 5.*

Caput unctum habentis gestus, ostendit & arguit lętitię affectum, *Esa. c. 61.3. Matth. c. 6. 17. Luc. c. 7. 46.*

Frons dura significat obstinationē & impudentiā, *Esa. c. 48.4. Ex prascietia mea erat, te durum esse, & nervum ferreum esse cervicem tuam, frontemq; tuam chalybeam. Ezech. c. 3.17.*

Frons rugosa cum attractis superciliis est habitus attente meditantis, cogitabundi & philosophici. *Sen. lib. 20. epist. 114. & li. 14. ep. 90.*

Auris inclinatio notat habitū libenter rem cognoscere cupientis, vel hominis attenti. *Psalm. 102. 3. Non abscondas faciem tuam à me, quo die est angustia mihi; Inclina ad me aurem tuam, quo die inclamo, & Psalm. 10.17. Confirma animum horum, adverte aurem tuam, & Psalm. 31. 3. Inclina ad me aurem tuam, citò eripe me, & Psal. 130.2. Sint aures tua intenta ad vocē deprecationū mearū, Prov. c. 4.* Quandoq; etiam est habitus obedientis. *Jerem. c. 7. 24. Matth. c. 13.*

Contra aurem obturare & occludere, est habitus attentionem & auscultationē negantis, & non persuaderi sibi cupientis, *Psalm. 58.*

5. Venenum est illis simile veneno serpentis, sicuti aspidis surdæ obturantis aurem suam. Esa. c. 33. 15. Qui occludit aurem suã, ne audiat cades, &c. Proverb. c. 21. 13.

Auris tinniens, est habitus maxime pavescentis, cui sensus audiendi hebetatur. 2. *Reg. c.* 21. 12. *Mich. c.* 7. 16. 1. *Sam.* 3. 11.

Oculi sunt lucerna corporis, qua interna apparent, *Matth. c.* 6. Hos placidos esse, verecundos & compositos decet; qui animum sedatum & compositum indicant.

Oculi sublimes & elati, sunt habitus & indices superbiæ. *Proverb. c.* 21. 4. *Elatio vero oculorum & aptitudo animi, oratio deniq; improborum, peccatum est, c. 26.* 12. *Esa. cap.* 2. 11. & *Job c.* 22. 29. *Luc. c.* 18. 13. 2. *Reg. c.* 19. 22. *Quod attollis in sublime oculos tuos cõtra sanctum Israelis. Psalm.* 10. 4. *Improbos in elatione vultus sui non inquirere nullum esse Deum, sunt omnes cogitationes eorum. Eccles. c.* 23. 4. 5. 7. *Luc. c.* 18. 13.

Oculi nutantes innuentes, loquaces, notãt mores maliciosos, cogitationesq; perversas & malas. *Eccles. c.* 27. 24. *Qui nictat oculo, fabricatur mala. Proverb. c.* 6. 33. *Homo nequam nictat oculis suis, verba facit pedibus suis, docet digitis suis. Prov. c.* 10 10. *c.* 16. 30. *c.* 4. 25. *c.* 26. 12. *Eccles. c.* 27. 24. Et oculis conniventibus, circumactis & lascivis intueri, nihil aliud est quã oculis mæchari, *ut dicit Clem. Alex. lib.* 3. *c.* 11. *Pædag.* Quia per eos cupiditas ineat prima pugnę præludia.

Oculi

Oculi torvi sunt truculentorum; vagi & volubiles levium vel insanorum; limi, suspiciosorum & insidiātium; immodice diducti, stolidorum; stupentes & defixi, attonitorum; acres, iracundorum.

Indecorum etiam & contemptus indicium est, clauso oculorum uno, alium intueri. quod nihil aliud est quam seipsum quasi eluscare: qui est gestus jaculantium, & fabrorum ad Lesbiam suam regulam opus suum examinantium.

Attollere oculos, est attēte, cupide & prōpe observare. *Ezech. c. 33. 25. Psalm. 33. 16.* Oculi vero clausi, cogitantem & meditantē produnt. *Proverb. c. 16. 30.* Oculos aperire, est vigilantium & attendentium. *Proverb. c. 20. 13. Job c. 27. 19.* Oculus deficiens, vel languens, significat animū fatiscentem & defessum. *Psal. 119. 82. 123. & Psalm. 88. 10. & Psal. 38. 11. Marc. c. 8. 3. Jerem. c. 14. Psalm. 69. 4. Deficiunt oculi mei sperantes in Deum. Esa. cap. 38. 14. Exhauriuntur oculi mei, &c.*

Oculi preterea sunt indices nequitiæ & impudentiæ, *Ecclesiast. c. 26. 12. Scortatio mulieris in elatis oculis atq; in palpebris ejus cognoscitur, & vers. 14. 11. Proverb. c. 26. Oculi vagi stolidorum hominum. Proverb. c. 17. 24. Adest faciei prudentis sapientia: oculi autem stolidi, vagantur ad extremitatem terræ.*

Sunt etiā indices avaritiæ & invidiæ. *Matth. c. 20. 15. An non licet mihi quod volo facere in meis*

rebus? an oculus tuus malus est, quia ego sum bonus? Deut. c. 15. 9. Ne oculus tuus sit malignus. & c. 28. 54. Vir mollis, & malignus erit oculus in fratrem suum. &c. & vers. 56. Eccles. c. 14. 8. 9. c. 31. 14. Marc. c. 7. 22.

Sunt etiam oculi indices curæ & custodiæ, *Psalm. 33. 18. Ecce, oculus Jehovæ, attendit ad timentes sui, ad exspectantes benignitatum ipsius.*

Oculi demissi & humiles, sunt modestię habitus. *Job. c. 22. 29. Tum demissum oculis servabit Deus, Luc. c. 18. 13. Nolebat vel oculos in cælum attollere. Proverb. c. 16. 19. Melius est submissum esse spiritu cum mansuetis, &c. Osea c. 7. 10.*

Oculi in aliquem conversi, indicant attentionis petitionem. *Luc. c. 6. 20. Sublatis oculis suis in discipulos, dixit.* quandoque observationem. *Psal. 10. 8. 9. Psalm. 34. 16. Oculi Jehovæ ad justos, Ezech. c. 33. 25. Genes. c. 4. 4. c. 19. 17. & Deut. c. 26. 15. Exod. c. 4. 31. c. 2. 25.*

Oculi aversi vel transversi negantem, fastidientem, dissimulantem, vel negligentem significant. *Psalm. 119. 37. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Job. c. 36. 7. Non subtrahit à justo oculos. Ecclesiastic. cap. 4. 1. Proverb. cap. 21. vers. 28.*

Oculos obstipare, velare, vel avertere, est habitus non cupientis videre. *Jsa. c. 33. 15. Et obstipat oculos suos, ne videant malum. Job. d. c. 36. 7.* Contrà oculos aperire, habitus est vigilantis. *Prov. c. 20. 13. Job. c. 27. 19.*

Testis

Testis oculatus majorem fidem meretur, quam auritus, *Proverb. c.* 21. 28. *ubi Jun.*

Lachrymę oculorum, animum & affectum lugentem & mærentem arguunt. 1. *Corinth. c.* 7. 30. *ubi Beza.* 2. *Reg. c.* 20. 5. *vidi lacrymas tuas, &c. Marc. c.* 9. 24. *Genes. c.* 21. 16. *c.* 27. 38. *Hebre. c.* 12. 17. *Judic. c.* 11. 37. *Ruth. c.* 1. 9. 1. *Sam. c.* 1. 7. 8. *c.* 11. 4. *c.* 15. 35. *c.* 20. 41. 2. *Sam. c.* 1. 17. 24. 1. *Esd. cap.* 10. 1. *Est. c.* 8. 3. *Job cap.* 30. 25. 31. *Matth. c.* 26. 75. *Esa. c.* 38. 3. 4. 5. *& Psalm.* 137. *Marc. c.* 5. 38. *Luc. c.* 19. 41. *& locis pluribus aliis.*

Quandoq; lachrymæ etiam impotentis alicujus lętitiæ argumentum, *Genes. c.* 43. 30. *c.* 33. 4. *c.* 45. 14. 15. *Jerem. c.* 50. 4.

Supercilia exporrecta, indecora; adducta, torvitatis; sublata in altum, arrogantiæ; in oculos depressa, male cogitantis indicium prębent.

Frons sit hilaris & explanata: quæ animi aperti signū est & liberalis; in rugas contracta, est senum & iracundorum; torva, taurorum.

Naręs vento, vel fumo incensæ, iram gravissimam & ultionis præsentis avidam significant. 2. *Reg. c.* 22. 9. *Psalm.* 18. 9. *Ascendit fumus per nares ejus, &c. Job c.* 39. 23.

Nares habere muco, fœtore & purulentia oppletas, est hominis fœtidi, & sordidi; præsertim quando veste, brachio, cubito, vel manu emunxerit, vel in solum ejecerit.

Ronchos naribus ducere, est furiosorum, nisi orthopnœâ quis laboret: naribus vo-

cem emittere, est cornicinū & elephantorum. Nasum crispare, est irrisorum & sannionum.

De sternutationis habitu & significatione quid senserint veteres, refert *Alex. ab Alexan. libr. 2. Gen. dier. c. 26. & Plin. libr. 28. c. 3. quæ præsentibus molesta esse solet. vide Clement. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 7. Ideoque sternutantibus corpus avertendum, ne cui in os quid ingerat vel indecorum quid exhibeat: non vero sonitus quem natura fert, reprimendus.*

Os apertum tribuitur iis, qui initium dicendi faciunt, *Matth. c. 5. 2. Psalm. 78. 2. Act. c. 8. 35.* Dilatio oris, quandoq; est gestus irridentis, insultantis, illudentis & contemnentis. *Esa. c. 57. 4. ubi Jun. Psalm. 35. 21. & 22. Videntes me subsannant me, & diducunt labium, & vers. 14. Dilatant contra me os suum, & Psalm. 22. 14. Job. cap. 16. 10. Distendunt contra me os suum, &c. Os vero percutere, est detestantis hominis, Actor. c. 23. & Matth. c. 27.*

Inflare buccas, fastus indicium est; demittere easdem, est animum despondentis. *ut Erasm. in Civilit. morum ait.*

Os pressum, est metuentis alterius halitum haurire; hians vero est morionum. Labiis subinde porrectis, veluti poppysmum facere, indecorum, & felium est & canum.

Oscitatio vola vel strophiolo vel corporis aversione tegenda & occultanda. *De claré & sonoré oscitante infamia notato refert Gellius lib. 4. cap. 20.*

Oris

Oris sputo, alium conspuere, est habitus hominis contemnentis, abominantis & avertantis. *Marc. c. 10. 34. Et ipsa illudent ei, & flagellabunt eum & inspuent in eum, &c. Matth. c. 27. 30. Et cum inspuissent in eum, & seqq. Esai. c. 50. 6. Faciem meam non abscondo à contumeliis & sputo. Job. c. 30. 10. Abominantur me, longè recedunt à me, & à facie mea non cohibent sputum. Num. c. 12. 14. Si pater inspuisset in faciem ejus, &c.*

Sputum ejectum ne cui nauseam moveat, pede proterendum, vel terræ pulvere tegendum. Resorbere salivam, sordidum est & canum & suum, qui ad vomitum & volutabrum redeunt.

Frequenter spuere, violentius exscreare & emungere, arguit nauseam & intemperantiã, & parit molestiam & tædium. Vel signum intemperantię est ex immoderata exhibitione humidorum, *ut Clem. Alex. Pædag. lib. 2. c. 2.*

Ori manus imposita, indicat habitum eorum qui veritate convicti, aut potestate & authoritate superati, obmutescũt pudefactiq; tacent. *Mich. c. 7. 16. Imponent manũ ori & vidẽtes erubescẽt. Psal. 39. 10. Obmutesco, nõ aperio os meũ. Esai. c. 52. 15. Propter eum reges obdẽt os suũ, &c.*

Osculum sanctum & pudicũ, charitatis symbolum est & amicitiæ mutuę signũ: & in salutationibus ut plurimum usurpatur, *1. Thess. c. 5. 26. 1. Pet. c. 5. 14. 1. Cor. c. 16. 20. c. 13. 2. Cor. c. 13. 12. Rom. c. 16. 16. Act. c. 20. 37. Genes. c. 29. 13.*

c.33.4.c.45.14.c.48.10.c.49.34. Exod.c.4. 27. Luc.c.15.20.c.7.45. De hoc habitu vide quæ infrà cap.14. dico & c.11.

Labia movere sine eloquio, est habitus ardenter & vehementer precantis & meditãtis. *1. Sam.c.1.13 Nam Channa loquebatur cum amino suo: tantum labia ejus movebantur, vox autem ejus non audiebatur, & vers.15.ib.d. Mulier ægra animo sum, effundo desiderium animi mei coram Jehova. & vers.16. Nam præ magnitudine meditationis meæ & indignationis meæ locuta sum hactenus.*

Labrum inferius premere dentibus superioribus, vel superius inferioribus, est habitus minantis.

Linguâ palato inhærens, silentium indicat. *Job c.29.10. Ezech.cap.3.11.12. Psalm.22.16.* Mandere linguam, est dolentis & exacerbati hominis. *Apocalyps.c.16.10. Et mandebant linguas suas præ dolore.* Linguam exerere, est habitus insultantis & irridentis hominis. *Esa.c.57.8. Contra quem oblectatis vos? contra quem dilatatis os, protrahitis linguam, &c. Psalm.22.13.& 35.31.*

Silere & tacere tum, quãdo homines loqui solent, est habitus ve[h]ementissime cõmoti & perculsi, cui præ d[ol]ore & consternatione verba sunt intercep[t]a. *Job c.2.13. Ita sedebant cum eo humi septem diebus & noctibus, neq; erat qui alloqueretur eum ullo verbo; quia videbant magnum esse illum dolorem valde. Psalm.32.3. Hesra*

3c. 9. 3. & quandoque patientiam significat. Jerem. c. 8. 14. & Psalm. 39. 3. *Obmutui taciturnus, sedebam etiam, &c.* Psalm. 38. 14. *Quos ego tanquam surdus non audio; & tanquam mutus, non aperiens os meum*, 15. *Sum tanquam is, in cujus ore non sunt argumenta.* Esa. c. 30. 15. Levit. c. 10. 3. *Tum dixit Moses Aaroni, Illud est quod locutus erat Jehova dicendo, In propinquis meis sanctificabor, &c. sed conticuit Aaron.* 1. Sam. c. 10. 27. 2. Reg. cap. 18, 36. Jesa. c. 36. 21. c. 42. 14. Matth. c. 26. 63. c. 27. 14. Quādoq; habitus cōvicti conscientiâ. Neh. c. 5. 8. *Qui siluerunt, neque invenerūt, quod responderēt.* Job c. 39. 37. 38. Aliquando signū & habitus melancholici & Ecstasi correpti. Sed & sępè silentium aliàs animi affectiones indicat; *de quibus dixi* s. c. 4. ex Prov. c. 10. 19. Eccles. c. 20. 3. 4. 5. 6. 20. c. 5. 4. 5. Eccles. c. 5. 2. 3. c. 10. 11. Proverb. c. 17. 27. 28.

Frendere dentibus, eosque instar canis exacerbati labiis diductis ostendere, est irascentium, dolentium, & quandoq; irridentium & insultantium. Psalm. 35. 16. *Inter hypocritas facetos, sanniones faceti frendentes contra me dentib. suis.* Psal. 102. 10. *Improb⁹ vidēs indignatur, dentib. suis frendens contabescit.* Actor. c. 7. 54. *Audientes hæc findebātur cordib. suis et stridebāt dentib. suis.*

Barbæ & capillorum canities, auctoritatis & reverentiæ habitus dicitur. Proverb. c. 16. 31. Levit. c. 19. 17. *De barba velata vide Ezech c. 24. 17.* Levit. c. 19. 45. Convellere alicui barbam, est habitus ignominiam & injuriam inferētis.

Jes. c. 50. 6. Corpus meum expono percussoribus & malas meas depilantibus. Barba horrens, est habitus mæsti & sordidati hominis, 2. *Sam. c. 19. 5. c. 10. 4. 5. 6. Jerem. c. 41. 5.* Barbam subinde intorquere, est habitus affectati muliebris ornatus. *vid Senec. lib. 21. epist. 116. De barba habitu Clemens Alexand. lib. 3. c. 11. Pædagog. ita scribit: Quod si quis non nihil barbæ tondeat, ea tamen non omnino est tondēda & denudanda, quod turpe est spectaculum. Barba enim tonsa ad cutem usq., non videtur multum abesse à vulsione & levore. vid. Psalm. 132.*

Pili capitis qui descenderites, visum impediunt; & qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, tondendi sunt tonsorum forficibus. Barbæ pili qui nihil molestiæ adferunt, non sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem adferant, & quendam paternum terrorem incutiant. *Clem. Alex. d. loc.*

Facies hominis, gestus & habitus tam bonos quā malos multiplices, admittit & induit ex interiore hominis affectione. *Eccles. c. 13. 30. 31. Cor hominis mutat vultū ipsius, sive ad bona spectet, sive ad mala. & seqq. & ex aspectu cognoscitur vir. Eccles. c. 19. 26. 27. & vultus formatio & fictio ex corde hominis est, Eccles. d. c. 13. & c. 37. 20. & animus latus bene afficit vultum, Proverb. c. 15. 13.*

Faciem in rem aliquam ponere, est gestus intentionem, studium & operam præstantis, *Ezech. c. 6. 2. c. 28. 21. c. 29. 2. c. 14. 8. c. 25. 2.*

Dispo-

Diſponere faciem ſuam contra aliquid, eſt oſtendere quó, & ad quem dirigatur ſermo. *Ezech. d. c. 6. 2. c. 28. 21. c. 29. 2. Jerem. c. 3. 7.* Faciem abſcondere & avertere, eſt hominis averſantis, negligentis & alienati animi. *Pſalm. 22. 25. Non abſcondit faciem ſuam ab eo. & Pſalm. 44. 25. Quare faciem tuam abſconderas? &c. 2. Reg. c. 3. 14. Niſi perſonam Joſaphati regis Judæ ſuſciperem, non intuerer te neq; aſpicerem te.* Contrá, faciem illuſtrare & convertere ad aliquem. *Pſalm. 119. 135. Num. c. 6. 26.*

Vultus placidus & jucũdus, eſt habitus hominis compoſiti & morati, civilis & ſua ſorte contenti. *Proverb. c. 17. 24. c. 22. 9. Eccleſ. c. 26. 4. & vultus lætus hilaritatis index. Proverb. c. 15. 13. 15. 16. c. 17. 22. Eccleſ. d. c. 26. 4. cum ſtolidorum oculi dicantur vagi. Prov. c. 17. 25.*

Faciem demittere, eſt habitus eorum, quos conſcientia accuſat & cauſſa ſua premit. *Geneſ. c. 4. 6. Quare cecidit vultus tuus?* Quandoque etiam adorantis & trementis, 2. *Chron. c. 7. 3. Inflexerunt ſe facie in terram verſus pavimentum, &c. Matth. c. 26. 39. Procidit in faciem ſuam & precans.* Et gratiam humiliter habentis. *Ruth. c. 2. 10.*

Operire faciem, eſt habitus videre non cupientis, *Ezech. c. 12. 6. Operito faciem tuam, ne videas hanc terram.* Velata facies, hominis eſt turbati & damnati. *Eſter. c. 7. 8. Operuerunt faciem Haman. Job c. 9. 24. Faciem judicum ejus obtegit,* &c. Quandoq; etiam pudoris & vere-

cundiæ signum. *Daniel c. 13. 33. uti dixi sup. in capitis velatione.* Et quandoque luctus. *Mich. c. 3. 9. Ezech. c. 24. 17. Levit. c. 19. 45.*

Facies sordida, est habitus lugentis & mærentis, atque miseriam arguit. *Matth. c. 6. 16. Deformant faciem suam, ut videantur hominib. jejunare. Job. c. 16. 16. Facies mea lutulenta effecta est præ fletu.* Contra, facies lota & pura, animum sedatum & compositum indicat. *Matth. c. 6. 17. Tu vero cum jejunas, faciem tuam lava, ut ne appareas hominibus jejunare. & Genes. c. 43. 31. Postea lotâ facie suâ egressus continebat se, &c.*

Faciem alterius conspurcare & conspuere, probat contemptum & detestationem ejusdem. *Malach. c. 2. 3. Sparsurus sum fimum in facies vestras. Matth. c. 26. 67. Tunc inspuerunt in faciem ejus & colaphos inflixerunt; alii vero bacillis eum ceciderunt. Esa. c. 50. 6. 7. Job. c. 30. 10. Abominantur me; à facie mea non cohibent sputum. Marc. cap. 10. 3. 4. Num. c. 12. 14. Si pater inspuisset in faciem ejus, an non rubore suffusa esset?*

Facies rubore suffusa, verecundiæ index est. *arg. d. Num. c. 12. 14. Esa. c. 13. 8. Ezech. c. 7. 18. In omni facie erit pudor. Jerem. c. 8. 12. Neque illi prorsus erubescunt, neque ignominia sciunt affici, &c. Num. c. 12.*

Facies, seu vultus pallidus, mæstitiam, dolorem, timorem & luctum in illo, qui talis natura non est, indicat. *Jerem. cap. 30. 6. Conversos esse vultus in speciem morbi regii, id est, ut Ju-*

inus

nius in Notis explicat, expallescere. ficuti & ater vultus. *Joel. c.* 2. *6. Nahumi c. 2.* 10. *Facies eorum contrahet nigrorem;* & vultus tectus, luctus indicium. *Mich. c.* 3. 9.

Vultus afflictus, ægritudinem corporis, vel animi indicat, *Nehem. c.* 2. 2. 3. *Quare vultus tuus afflictus est, cum non sis agrotus? Non est hęc nisi afflictio animi, &c.* 2. *Macchab. c.* 3. 16. *Nam aspectus & mutatus color declarabat angustiam, quæ urgebat animum ipsius. & vers.* 17. *Nam turbatione animi vultus quoque turbatur. Daniel. c.* 3. 19. *Tum Nebucadnezar adeò repletus fuit excandescentia, ut imago vultus ejus immutaretur. & vers.* 24. *& Ecclesiast. c.* 25. 21. *Mulier improba mutat faciem & vultum indignabundum lingua simulantis parit. Proverb. c.* 25. 23. *Et vultus placidus & constans, sapientia indicium. Proverbior. cap.* 17. 24. *cap.* 22. 9. *& hilaritatis. Ecclesiastic. d. c.* 26. 4. *& latus vultus, animi lati index, Proverb. cap.* 15. 13. *& animus latus hominem bene afficit. Proverb. cap.* 17. *vers.* 22.

Collum erectum, nonnunquã libertatem significat. *Job. c.* 15. 26. & extentum seu exsertum, arrogantiam, *Jesa. c.* 3. 17. collum curvum & depressum, servitutem & obedientiam, *Jerem. c.* 27. 8. *Genti quæ non indet collum suum regi Babyloniæ, & c.* 28. 10. 11. 14. *Esa. c.* 52. 2. *c.* 10. 27. *Mich. c.* 2. 3. Incurvare collum, valdè incivile est.

Amplexus colli & procubitus significat de-

ſiderium perſonæ chariſſimæ, *Geneſ. c. 33 4. Accurrens Eſau obviam ei, amplexatus eſt eum, & ruens in collum ejus, deoſculatus eſt eum, Geneſ. c. 45. 14. Tum ruens in collum Bejaminis fratris ſui, flebat: Benjamin quoq; flebat ad collum ejus. Actor. c. 20. 37. Et ruentes in collum Pauli deoſculabantur eum. & Marc. c. 10. 16. & amplexans eos, & imponens manus ſuper eos, benedicebat eis.*

Humerus nudatus, index oneris & ſervitutis & laboris magni. *Ezech. c. 30. 2. Omne caput decalvatum eſt, & omnis humerus nudatus. Humeris enim onus ſuſcipimus, 2. Chron. c. 2. 18. Luc. c. 5. 5.* Humerus recedens, eſt hominis detrectantis ſervire. *Nehem. c. 9. 29. Nahum. c. 11. Ezech. c. 29. 7.*

Brachium extenſum, vel elevatum, ſignificat potentiam & facultatem, ad rem gerendã conficiendamque. *Exod. c. 6. 6. redimamq; vos brachio extento & judiciis magnis, & verſ. 7. Sic experiemini ne eſſe Jehovam, &c. Deut. c. 4. 34. Bello & manu forti, & brachio extẽto. & verſ. ſeq. 35. Tibi ſunt exhibita videnda, ut cognoſcas Jehovam eſſe Deum ipſum.*

In cubitum recumbere, eſt immorantium & familiariter & ſecurè agentium, *Eccleſ. c. 9. 9.*

Manus, multiplicis habitus artifex eſt: & varias cordis affectiones internas exprimit. Nam manus ſublata, erecta & extenta, vim, robur potentiamque, indicat. *Exod. c. 15. 12. Extendiſti dexteram tuam: deglutivit eos terra. Eſai.*

sai. cap. 5. 25. Et extendens manum suam contra eum, percussit eum. Et his omnibus non est aversa ira ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

Manus pendulæ, pigri habitus.

Brachia & manus modò in hanc, modò in illam partem jactare, aut projicere instar serentis, est habitus hominis stolidi & inertis.

Manu dexterâ elatâ, juramentum præstare solemus. *Genes. cap. 14. 21. dixit Abraham, Juravi elata manu mea ad Jehovam, Ezech. cap. 36. 7. Idcirco sic ait Dominus Jehovi, Ego sublata manu mea juro. Daniel. cap. 12. 7. Qui efferens dexteram suam & sinistram suam versus cælos, juravit per viventem in æternum. Apocalyps. cap. 10. 5. Angelus sustulit manum suam ad cælum. 6. & juravit per eum qui vivit in secula seculorum.* In juramentis quæ à domesticis exigebātur, aliud Judæis usitatum fuisse, apparet ex *Genes. c. 24. 2. 9. c. 47. 29.*

Manus extensio est habitus locuturi, silentium & attentionem indicentis. *Actor. c. 19. 33. Manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo, & c. 21. 40. Paulus stans in gradibus, silentium manu postulavit à plebe: & silentio facto, locutus est, & c. 26. 1. Tunc Paulus extenta manu, hac defensione usus est, & cap. 13. 16. Cum surrexisset igitur Paulus, manu silentio postulato, dixit. Prov. c. 1. 24. Quandoquidē invito & renuitis, extendo manum meam & ad illos agitate manum, ut ingrediantur portas ingenuorum.*

Manus porrecta & extensa, est habitus in-

dicantis & demonstrantis aliquid. *Matth. c. 12. 49. Et protensa manu sua in discipulos, dixit, Ecce mater mea & fratres mei.* Et quandoque opem & auxilium ferentis. *Matth. c. 14. 31. Statim vero Jesus extenta manu apprehendit eum. Actor. c. 9. 34. Matth. c. 20. 34. Esa. c. 51. 18. Et nemo apprehendebat manum ejus ex omnibus filiis quos educaverat.*

Manus ori admota, est habitus tacentis & modestè agentis; & quandoq; admirantis secumque reputantis. *Proverb. c. 30. 33. Si stultus fuisti efferendo te, sive cogitasti, manum ori tuo imponito.* Job. c. 21. 5. *Respicite ad me, & stupore corripiamini; & apponite manum ad os. & c. 29. Principes continebant sermones & manum imponebant ori suo, & vers. seq. & c. 9.*

Manum dare, vel porrigere, est habitus fidem dantis & promittentis, *Ezech. cap. 17. 18. Quia ecce junxit manum suam, &c.* Jerem. c. 50. 51. *junxit suam manum*, Job. c. 17. 2. *Quis est? manui meæ plaudatur*, 2. *Reg. c. 10. 15. Si est, inquit, animus tuus rectus, cedo manum tuam: & ubi dedisset manum suam, jussit eum conscendere ad se in currum. & Galat. c. 2. 9.* Jacobus & *Cephas &* Johannes, *&c. dexteras dederunt mihi.* 1. *Macchab. c. 6. 58.* 2. *Macchab. c. 13. 50.* 1. *Chronic. c. 29. 24. Omnesque principes & robusti & omnes filii regis Davidis dederūt manus, se fore subditos regi Salomoni.* quod alibi exprimitur per manus complosionem & junctionem. *Proverb. c. 6. 1. 2. Cōplosisti extraneo manū tuam: illa-*

illaqueasti te sermonibus tuis. 3. Fac istud jam, fili mi, & eripe te: quandoquidē convenisti in manum proximi tui. & c. 11. 15. *Qui odit complodentes, securus est. Contrà, qui spondet pro extraneo, confringitur. & c.* 17. 18. *Homo demens complodit manum, spondens sponsionem ante amicum suum.*

Aliàs complodere manus, est etiam lætantium habitus, 2. *Reg. c.* 11. 12. *Et complodentes volis dicebant, Vivat Rex. Esa. c.* 55. 12. *Omnes agri arbores complodent manum. Nahum. c.* 3. *in fin. Quicunq; audient rumorē tuum, complodent manum super te. & Psalm.* 47. 2. *Omnes populi plaudite manibus, clangite Deo voce canora.* Quãdoque etiam lugentium.

Manu dentes scalpere, vel corpus fricare, vel ulcera vel pustulas refricare atq; cruentare, habitus est hominis impudentis & sordidi. *Clem. Alex. lib.* 2. *Pædag. c.* 7. *in fin.*

Manum attollere, est habitus negotiũ suscipientis. *Genes. c.* 41. 44. *Attamen sine te non attollet quisquã manum suam, aut pedem suum, in universa Ægypti terra. Psalm.* 119. 48. *Attollam manus meas ad præcepta tua quæ diligo.*

Expãsa manus, est habitus petẽtis & rogãtis. *Esa. c.* 65. 2. *Expanderam manus meas toto die ad populũ rebellem, c.* 1. 15. *Psal.* 141. 2. *Elatio manuum mearum, ut munus vespertinũ corã te. Jer. c.* 4. 31. *Vocẽ filiæ Tzionis subinde anhelãtis, pandẽtis manus suas, dicendo, Væ mihi, &c. Exod. c.* 9. 29. *Cũ egressus fuero, extendã manus meas ad Dominum.*

Manus excutere, est habitus demonstran-

tis non habere vel non cupientis habere. *Jesa. c. 33. 15. Qui spernit lucrum ex fraudibus, qui excutit manus suas, ne teneat munus. &c.*

Manus remissa, est indicium timoris, consternationis & animi dejecti. *Esa. c. 13. 7. Idcirco omnes manus remissæ erunt, & omne cor humanum colliquescet & conturbabitur, &c. Ezech. c. 7. 17. Omnes manus debilitabuntur, & omnia genua in aquas sunt abitura.* Jerem. c. 50. *Audientes Regis Babyloniæ rumorem de eis, illico remittent se manus, angustia apprehendet eum, dolor tanquam parturientis.* Manuum remissio, complicatio & complosio & complexus, brachiorum in sinu vel manica occultatio, est habitus pigrorum & desidum. *Eccles. c. 3. 14. 15. c. 2. 14. Proverb. c. 19. 24. Abditam habet piger manum suam in manica sua, etiam ad os non reducit illam. & c. 26. 15. 16. & c. 21. 25. c. 22. 13. Hebræ. c. 12. 12. Quapropter manus remissas & genua soluta surrigite. Psalm. 74. 11.*

Pectinatim manus inter se complicare, ominosum creditur & tristitiæ indicium. Manus membro corporis laboranti imposita, dolorem arguit. *Jerem. c. 30. 26.* Capiti imposita, lugentium feminarum habitus, *Jerem. c. 2. 37. & 2. Sam. c. 13. 19.* Utrumque brachium in tergum detorquere, pigritiæ speciẽ habet: sicuti & alteram manum in ilia vel tergum injectam habere & adstare, vel sedere.

Digitus ori impositus, est habitus silentis, *Judic. c. 18. 19. Qui dixerunt ei, sile, impone manum*

num tuam ori tuo & veni nobiscum. Job. c. 29. 37.

Quandoq; digitus docentẽ & demonstrantem aliquid tacite significat. *Prov. c. 6. 13. docet digitis suis.*

Digitis concrepare cum talitris, est habitus & signum hominis insultantis & contemnentis, seu vilipendentis.

Proprios digitos conspuere, est habitus hominis sordidi.

Tympanorum pulsum digitis imitari & alterna pedum jactatione uti; est hominis alios præsentes non curantis vel fastidientis.

Tergum vertere in bello, est fugiẽtium habitus. *Gen. c.* 14. *10.* post tergum reiicere, est negligere, non curæ habere, vel oblivioni tradere. *Esa. c.* 38 17. *Quia abjecisti post tergum tuum omnia peccata tua.* Jerem. c. 2. 27. *Quia obverterunt mihi cervicem, non autem faciem.* Judic. c. 10. 10. Jerem. c. 32. 33. *Quia obverterunt mihi cervicem, non autem faciem: & docenti eos minime auscultant.* Dorsum & cervicem alicui præbere, est habitus patienter plagas sustinentis. *Psalm.* 18. 41. *Et inimicorum meorum exponis mihi cervicem, ut osores meos exscindam.*

Quandoque fugientis & cedentis. *Deut. c.* 33. 11. *Psalm.* 18. 41. *Psalm.* 21. 17. Verticem inclinare, est annuere & approbare cum reverentia *Nehem. c.* 8. 7. *Respondit totus populus Amen, amen. Cum elatione manuũ suarum verticem inclinarunt.*

Lumbos accingere & lũbi accincti, indicant

habitum hominis parati & promti, 2. *Reg. c.* 4. *29. Edixit Elisa Gehazi, Accinge lumbos tuos; & sumpto scipione in manum tuam, abi.* 2. *Reg.* 9. *1. Elisa vocato uno é filiis prophetarum, edixit ei: Accinge lumbos tuos; & accipiens lenticulam olei hãc in manu tua, abi Ramothas Gilhadis,* 1. *Reg. c. 20. c. 99.* 2. *Reg. c.* 4. *Luc. c.* 12. *Job c.* 38. 3. *Accinge nunc ut vir lumbos tuos, & quod interrogabo te, notum fac mihi.* Jerem. c. 1. 17. *Tu itaq; accinge lumbos tuos, & surgens eloquaris apud eos, quidquid ego praecepero tibi, Luc. cap.* 12. 35. *Sint lumbi vestri pracincti, &c. Exod. c.* 12. 11. 12. *Ita eam comedite: lumbis vestris succinctis, calceamentis vestris ad pedes vestros, & bacula vestra in manu vestra, sic comedetis eam cum festinatione. Psalm.* 45. 4. 5. *Esa. c.* 11. 5. *Luc. c.* 11. 31.

Contrà vero lumbi dissoluti & cõfracti, habitum dolentium & infirmorũ indicant. *Esa. c.* 21. 3. *Jerem. c.* 30. 6. *Job c.* 16. 5. *vide Joh. Guil. Stuckium lib.* 2. *c.* 29. *Convivalium antiquitat.*

Inflectere cervicem & adducere scapulas, pigritiam arguit. Cervicem in lævum, vel dextrum vergere, est habitus hypocriticus; nisi colloquium, aut alia necessitas id postulet.

Humeros æquo libramine tẽperare, habitus benè compositi: at in morem antennarum alterum tollere, alterum deprimere, pigri.

Femur sive coxam ferire, est habitus eorum, qui se deceptos, aut alios errantes agnoscunt, *Jerem. c.* 31. 19. *Ezech. c.* 21. 19.

Oscitare, præsertim claré & sonoré, est habitus

bitus ſatietatis, faſtidii, ſocordiæ, otii, ſomnolentiæ, animi vagi, fluxæ & apertæ ſecuritatis & moleſtiæ, *Gell. lib. 4. c. 20.*

Ronchos ducere, & pituitam propendentem cum ſono retrahere ſubinde, eſt hominis ſordidi & fœtidi.

Singultus, eſt indicium diaphragmatis nimio cibo diſtenti, & propterea antegreſſæ γαστριμαργίας ſignum. *Clemens Alexand. Pedag. lib. 2. c. 2. c. 7.*

Cum ſcreatu & tuſſi ſalivam & mucum expectorare, aut poſtquam naſum emunxeris in ſtrophiolum diductum, mucum inſpicere, quaſi fieri potuerit, ut margarita aut pyropus tibi è cerebro exciderit, eſt hominis ſordidi, nauſeabundi, tædioſi & immunditiæ amantis.

Ructus incidens, cum exſpirato aëre eſt tranſmittendus ore decorè compoſito, nec inſtar perſonarum tragicarum diducto & hiante. *Clemens Alex. lib. 2. Pedag. c. 7.* Sternutationis autem qui conturbat ſtrepitus, reſpiratione leniter repreſſa ac retenta, auferendus eſt, *dicto c. 7.* Hac enim ratione quam honeſtiſſime fieri poterit, conglobatæ ſpiritus minę intus ſunt extinguendæ, providendo ut ita tranſeat, ut etiam cæteros latere conetur, ſi vi expreſſus aër aliquod ſecum excrementum eduxerit. Impudentiæ autē & inſolentiæ ſignum eſt, ipſis velle ſonis aliquid addere, non autem detrahere, *d. c. 7.*

Tuſſi & ſternutamento ſonitum excitare, & pituitæ ſuæ aſpergine faciem vel veſtes aliorum collinere, eſt habitus aliorum præſentiã non curantis. *vide Clement. Alexand. lib. 2. c. 7. Pædag.*

Crepitum & efflatum ventris emittere, eſt hominis guloſi & intemperantis indicium, & præſentes alios vili pendentis. *vide Sueton. in Claudio.* Quod ſi tamen hoc fiat ex libertate quadam familiaritatis, vel apud viliorẽ & abjectum, non ita vitio vertitur: *unde Martialis in Criſpum;*

Nil aliud video quo te credamus amicum;
Quàm quòd me coràm pedere, Criſpe, ſoles.

Aliàs eos teſtamur nos amare, apud quos ea facere erubeſcimus quæ revera turpitudinem in ſe habẽt. Apud amicos .n. omnes viri boni haberi volunt, ideoq; ſua vitia cupiunt celare.

Anhelare, eſt habitus anxiè & ſolicitè ſperantis & laborantis. *Pſalm. 119. & 131. Os meum diſtendo & anhelo; quia præceptorum tuorum cupidus ſum.* Jerem. c. 4. 31. *Vocem filiæ Tzionis ſubinde anhelantis, pandentis manus ſuas, dicendo, Væ mihi. Proverb. c. 29. 2. Quum dominatur improbus, ſuſpirat populus.*

Ingemiſcere, eſt cõmoti & commiſerantis cũ *συμπαθείᾳ. Marc. c. 8. 12. Ipſe vero quũ alte ingemuiſſet ſpiritu ſuo, dixit, &c.* & ſpiritu fremere, eſt commoveri. Jerem. c. 4. 19. *Fremit cor meum: non poſſum ſilere.*

Spiritus languens, anguſtus & tenuis, eſt index

index pavoris & metus. *Johan. cap. 2. 11. Quod audientibus nobis liquefactum est cor nostrum, neque constat animo quisquam amplius metu vestri: & Psalm. 119. 32. Quum dilataveris animum meum.*

Crura fæminarum vestibus diductis altiusque præcinctis nuda, migrandi lõgiusque peregrinandi cogitationem & habitum indicant, *Jesa. c. 47. 2. c. 20. 2. 3.*

Genuum curvatio, est habitus supplicantium & orantium, *1. Reg. c. 8. 54. Cum absolvisset Salomo orare, surgens ab anteriore parte altaris Jehovæ, ab inflexione sua in genua, manibusq; suis passis versus cælum. & Hesra, c. 9. 5. Surrexi ab afflictione mei, idque laceratam habens vestem & pallium meum, & flectens in genua mea, expandi manus meas ad Jehovam. 2. Reg. c. 19. 18. Relinquam mihi septem millia, quorum genua nõ sunt curvata ante Baal. Luc. c. 3. 22. Quod cum vidisset Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens, &c.*

Genuũ dissolutio, aut tremor, debilitatis & infirmitatis indicium est. *Psalm. 109. 24. Genua mea labant præ jejunio, & caro mea emaciatur. Ezech. c. 7. 17. Omnes manus debilitabuntur & omnia genua in aquas abitura sunt. Esai. c. 35. 3. Confirmate manus remissas, & genua labantia fortificate. Nahum. c. 2. Job. c. 4. Daniel. c. 5. 6. Quum cingula lumborum ejus dissoluta essent, genuaq; ejus colliderent alterum alteri. Job c. 4. 4. Et labantem confirmabant sermones tui, & fortificabas genua se incurvantia.*

Pede plaudere & percutere terram, est habitus insultantis alienis calamitatibus. *Ezech. c.25.6. Nam sic ait Dominus Jehovi, eo quod complodis manum & plaudis pede, & lataris ex animo de tota populatione tua contra terram Israelis, &c. Prov. c.6.13. Homo nequam verba facit pedibus suis.* Pes constans, rectus & certus, recti studii & firmi propositi affectionem indicat. Contrà motus, inconstans & titubans, sentétię mutationem, aut dubitationẽ metumve arguunt. *Psalm.56.14. & Psalm.73.2. Equidem penè declinaverant pedes mei, & Psalm.38.17. Ut non latentur de me nutante meo pede, & Psalm. 94. 18. Cum dico dimovetur pes meus, &c.* Jeremiæ *cap.14.10.*

Pedum festinatio temeritatem indicat & incõsultam actionem eorum, qui affectus suos impotenter sequuntur. *Rom. c.3.15. Pedes eorũ veloces ad effundendum sanguinem, Prov.c.6.18. Pedes festinanter currentes ad malum, & c.28.1. Fugit improbus nemine persequente, & c.19.2. ac preceps pedibus suis peccat, & c.7.11. c.25.8.*

Turpe est adstantem divaricare crura; turpius vero crebró motitare, aut contorquere.

Ad pedes provolvi, est habitus adorantis & supplicantis, *Est.c.8.3. Deinde rursum Esther elocuta est coram Rege, procidens ante pedes ejus, & flens deprecabatur. Matth. cap.27.29. Et genu ante eum summisso illudebant ei. Marc. cap.5.22. Jairus videns eum, procidit ad pedes ejus, &c. & cap.10.17. & Matth, cap. 28.9.*

Illa

Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

Cap. IX.
De habitu & gestu totius corporis.

TAntum de habitu naturali singulorum membrorum corporis hominis. Sequitur nunc de omnium membrorum & totius corporis hominis habitu & gestu.

Totius corporis habitus respectu ejus qui est partium, rectè compositus vocari potest, quod omnium membrorum gestus & habitus simplices hîc quasi conjunguntur, ex qua conjunctione totius corporis gestus existit.

Ejusmodi habitus consideratur primó in ipsis membris per se, eorumq; motu & actione: Deinde in horum vestitu & amictu.

Habitus in motu corporis totius seu pluriũ membrorum, cõsistit in incessu, statione, surrectione, sessione, cursu, lapsu, obstupefactione, pudore, tremore, absconsione, pinguedine, inedia, sudore, procubitu, somno, &c.

Incessus non furiosus, sed honestus & letus; non tardus nimis, decorus & civilis est, nõ fractus neq; præceps, neq; vacillans, sed planus & æquabilis, nec exultatione nec lentitudine, neq; festinatione culpabilis.

Incedere cum exserto collo, erectis cervicibus, frontis protensione, minutim & numerose passus conserere, & gressus suos modificare, more asturconum & tolutariorum, est habi- Incessus

tus hominis lascivientis, luxuriantis & superbientis, *ut grauiter describit Propheta Esai. c. 3. 17. Praeterea ait Jehova, eò quod altae sunt filiae Tzionis & ambulant extento gutture & nutantes oculis, indesinenter minutis passibus incedunt, pedibusq; suis compeditas agunt. 18. Idcirco scabie afficiet Dominus verticem filiarum Tzionis & Jehova pudendum earum nudabit. ubi eleganter Junius. Deut. c. 28. 56. Mollis in te & delicata, quae nō tentarat plantam pedis sui figere super terram prae deliciis, & prae mollitie, oculus malignus erit, & vers. 54. Clemens Alexand. lib. 2. Paedagog. c. 11. & lib. 3. c. 11.*

Meretricum & lascivarum faeminarum est, fractis motibus & effaeminatis, atque ingressibus mollibus & oculis scintillantibus, reflexo collo in obliquum incedere. *Clem. Alex. lib. 3. c. 11. Paedag.* In via fluctuare, resupinare corpus, vel supina cervice obvios respicere an se aspiciant; hominis est superbi & arrogantis, *ut Clemens Alex. d. loco ait.*

Vir honestus in via non curret, aut nimium properabit, qui est habitus cursoris, & inconstantis hominis. Incessus lentus, mollis & testudineus & tener, est faeminae alicuius primariae, aut sponsae. *Cic. lib. 1. Officior. Hinc Seneca lib. 7. natural. tenero & molli incessu gradum suspendere, aut repere, non ambulare, est mulierum. Clem. Alex. lib. 3. c. 11. Paedag.*

In incedēdo ita altè pedes tollere, ut eos ex medimno educere videaris, est habitus & incessus

cessus equi pavidi. Pedem terræ ita fortiter tantoque cum sonitu impingere, ut plaustrorum strepitus vix major esse possit, est habitus minacis, ferocis & superbi hominis.

Pedes in obliquum impellere & quodam modo calcitrare, vel tibias collidere, est habitus hominis temulenti & ebrii.

In incessu ad unum quemq; passum caligas attrahere & se inclinare, est habitus ad alvi purgationem properantis hominis; sicuti & motu clunium indecoro incessum fractum & quasi anatinum præ se ferre; aut solutis genib. incedere, gressum frangere, vel ludentibus pedibus incedere, est habitus hominis petulantis & luxuriantis.

Modó huc, modó illuc se movere, contorquere, & modó in hoc, modó in illud latus se convertere, est habitus febricitantis hominis & fastidientis.

Femur unum alteri superponere, vel manu sustêtare mentum, pedem pedi imponere, est habitus pigri, seipsum non ferentis.

Sæpe veró moveri, habitum & figuram mutare, est signum levitatis. *Clemens Alexand. lib. 1. c. 7. Pædag.*

Ex consessu honestorum hominum inter se confabulantium surgere, & per cubiculum, vel conclave inambulare, est habitus fastidientis & vilipendentis presentes. sicuti etiam forpicula, aut cultello ungues resecare, dentes scalpere, fricare corpus, ulcera cruentare, vel

modò hanc, modò illam epistolam ex pera extrahere & legere, *ut Galateus ait, & Clem. Alex: lib 2. Pædag. c. 7. in fin.*

Stare. Status rectus & decorus sit, non cum decussatim compositis tibiis. Stare in concionibus & orationib. audiendis, est habitus attente & obsequiose auscultantis 2. *Chron. cap. 6. 2. Postea rex conversa facie sua benedixit cum tota congregatione Israelis, tota congregatione Israelis stante, & vers. 4. ac dixit, Benedictus* Jehova, *&c. Luc: c. 4. 6. Et surrexit ut legeret. Num. c. 23. 22. Tum protulit sententiam suam, dicens: Surge Balac & audi, aures attende ad me fili Tzipporis. ubi* Junius *in hanc sententiam præterea allegat Genes: c. 49. 33. c. 47.* Judic. *c. 3. 20. 2. Reg. c. 23. 2. 2. Chronic. c. 34. 31. Nehem. c. 8. 6. Act. c. 1. 15. 16. Et per eos dies cum assurrexisset Petrus in medio discipulorum dixit. & c. 13. 16. Cum surrexisset Paulus, dixit: Nā stando verbo & majestati verbi Dei, honor exhibetur, ut ex prædictis locis apparet: quibus adde* Jerem. *c. 23. 22. Zachar. c. 3. 7. Est. c.* 8. *4.* Alibi adstare, est comprobantis habitus. *Act. c. 22. 20.*

Surgere. Surgere est habitus curantis rem aliquam agendam operiq; instantis. Jerem. *c. 1. 17. Tu ergo accinge lūbos tuos ut surgens eloquaris apud eos, quidquid ego præcepero tibi. Matth. c. 26. 62. Surgens princeps sacerdotum, ait ei. Habacuc. c. 2. 1. In custodia mea stanti & consistenti mihi in munitione ac speculāti ad videndū quid responsurus essem, 1. Reg. c. 11. 40. Act. c. 13. 16. Luc. c. 4. 6.*

Sessio

Sessio plana & æquabilis sit.

In sedendo etiam pedes & manus otiosæ esse debent, nisi necessario quid hisce agēdum. & in sedendo corpus, æquo libramine erectum habere, nō in sella vacillare, non jā huic, nunc alteri nati vicissim insidere decet, neq; ex adverso sedentem molestare, vel hinc inde vacillare.

Sedere in agris, hortis, vineis, est habitus indicans quietem, tranquillitatem & pacem. 1. *Macch. c.* 14. 12. *1. Reg. c.* 4. *2. Et sedit unusquisque sub vinea sua, & sub ficulnea sua, & non erat qui eos deterreret. Mich. c. 4. 4. Sed considerant quisque sub vite sua, & sub ficu sua nemine deterrente. Psal. 50. 20. Sedens fratri tuo obloqueris, &c. Psal.* 119. 23. 1. *Sam. c. 4. 13. Esaiæ c. 33. 16.* Sedere.

Sedere quoque quandoque habitus est docentis, eorum inprimis, qui in cathedra sedēt. *Matth. cap. 23 2. In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi. & c. 26. 55. Quotidie apud vos sedebam, docens in templo, Luc. c. 2. 46.* Ut *invenerunt eū in templo sedentē in medio Doctorum.*

Aliquando etiā habitus quietē auscultantis. *Marc. c. 3. 32. Sedebat autem circa eum turba, Luc. c. 10. 39. Et huic erat soror, quæ vocabatur Maria, quæ etiam assidens ad pedes* Jesu, *audiebat ejus sermonē.* Quandoq; etiā dolentis habitus. *Job. 2. 13. Ita sedebant cum eo humi dieb. &c. Esa. c. 3. 26.* Jerem. *c. 13. 18. Ezech. c. 26. 16. c. 47. 2.*

Diductis genibus sedere, aut divaricatis distortisve tibiis stare, Thrasonum est, dicit Erasmus. Tibia altera altero genu suspensa se-

dere, vel dextero pede in lęvum femur injecto, incivile est.

Currere. Cursus hominis arguit desiderium & magnam curam rei gerendæ, *Genes. c.*18. *Quos videns Abraham accurrit obviam eis ex ostio tentorii sui, & Genes. c. 24 28 Itaq; currens puella, nunciavit in domo matris suæ, ut se habebant ista. Sic Genes. c.29.13. Laban obviam occurrit Jacobo ad illum hospitio excipiendum* 1. *Reg. cap.* 19 20. *Tum relictis bobus accurrens post Eliam, dixit: Psalm.* 119. 32. *Viam præceptorum tuorum percurram, postquam dilataveris animum meum. Jerem. c* 8. 6. *Proverb. c.* 1. 16. *Pedibus suis, ad malum concurrunt & festinant ad effundendum sanguinem. Rom. c.* 3. 15.

Quandoq; etiam animum consternatum & timidum atq; sibi malè conscium arguit. *Proverb. c.* 28. 1. *Fugit improbus quisq;, nemine persequente. Levit. c.* 27. 36. *Ut persequente eos strepitu folii agitati, fugiant fuga, & seq. Deut. c.* 28. 7. 25. & 2. *Sam. c.* 10. 13. 18.

Labi. Lapsus & casus dicitur esse periclitantis. *Deut. c* 32. 35. *Mea est ultio & retributio, tempore suo vacillabit pes eorum.* Jerem. c. 23. 12. *Idcirco erit via sua ipsis, quasi lubricissima cum caligine, in qua impellantur ut cadant.* 1. *Sam. c.* 4. 18. *Ut caderet Heli è solio retrorsum, ante latus portæ. Vid. plura in hanc rem Num. c.* 14. 3. *Genes. c.* 14. 10. 1. *Reg. c.* 1. 19. *Psalm.* 27. 2. & 91. 7. & 121. 3. 8. *Actorum cap.* 27. 34. & *Jerem. cap.* 8. 4. 12. & *Psalm.* 17. 5. *Contine gressus meos in*

orbitis

orbitis tuis, ne dimoveantur pedes mei. & Psalm. 18. 37.

Aliquando habitus est hominis lugentis. *Jos. c. 7. 6. Procidit in faciem suam in terram ante arcam Jehova, &c. Matth. c. 26. 39. Et progressus paululum, procidit in faciem suam, &c. 1. Sam. c. 15. 23. 24.*

Conculcare est habitus contemnentis & domantis. *Matth. c. 5. 8. Ne forte conculcent eas, &c. Esai. c. 28. 3. Pedibus conculcabitur corona fastus ebriosi Ephraimi. Jos. c. 10. 24. Imponite pedes vestros cervicibus ipsorum regum, &c.*

Obstupescere est habitus rem novam & improvisam mirantis. 1. *Sam. c. 14. 16. Quapropter fuit trepidatio in castris illis in agro, & in toto illo populo, stationarii & populatores milites trepidaverunt quoque, & seqq. & praced.* 1. *Sam. c. 21. 1. 2. Adventante autem Davide Nobum ad Achimelecum sacerdotem, trepidus accurrens Achimelec obviam Davidi, &c. dicebat ei, Quare tu solus es? Et nemo tecum? Esa. c. 10. 29. Trajecerunt transitum Gebali in diversorium verterunt, trepidavit Rama, Gibha Saulis fugit; praced. & seqq. Eze. c. 28. 19. Quicunque norant te in populis, obstupuerunt de te, terrori summo es, quod nulla sis usque in seculum.* Obstupescere.

Pudefieri & confundi, est habitus ejus, qui voti & consilii sui concepti non fit compos. *Psalm. 25. 2. Deus mi, in te confido, ne erubescã, ne exsultent inimici mei de me. 3. Etiam ulli expectantes te, ne erubescant. Erubescant qui per* Pudor.

fidé agunt immerito. 1. *Petr. c.* 3.16. & *Psalm.* 35.4. *Pudefiant & rubore perfundantur, quærentes animam meam; agantur retrorsum & erubescant machinantes malum meum. Psalm.* 31.18. *ne erubescam. Esa.c.* 44.4.6. *Jerem.c.* 31.19.2. *Sam. c.* 19.4.5.*c.*10.5. *Ezech.c.*7.18. *Psalm.* 71. 13. *Pudefiant, deficiant adversantes animæ meæ: operiantur opprobrio & ignominia, quærentes malum meum. & Psalm.* 97. *Pudore suffundantur omnes colentes sculptile, qui se jactant de idolis. & Psalm.* 35.26. *Pudefiant & erubescant simul gaudentes de malo meo, induantur pudore & ignominia.* Joël. *c.*1.11. *Erubescunt agricolæ, ejulant vinitores propter triticum & hordeũ, quia periit messis agri. Jerem. cap.* 20.11. *Jehova adest mihi; idcirco qui persequuntur me, impingent, neque prævalebunt; erubescent valde cum nõ secundabuntur, ignominia perpetua non poterit tradi oblivioni. & vers. ult. Esa. c.* 50.7.2. *Sam.c.*19.4. *Populus rubore suffusus ac si fugisset in prælio. & vers.*6. *Pudefecisti hodie vultum omniũ servorũ tuorũ.* 1. *Corinth. c.*15.34. *Ad pudorem vobis incutiendum loquor.* 2. *Thessal.c.*3.14. *Quod siquis nõ auscultat nostro per epistolã sermoni, hunc notate, & ne commercium habete cum eo, ut eum pudeat, Genes. c.* 3. 10.

Trepidatio. Ossium tremor & trepidatio, est habitus hominis pavescentis, dolentis & metuentis. *Psalm.* 119.120. *Horret pavore tui caro mea, adeo à judiciis tuis timeo, Deut. c.* 2.25. *Die hoc incipiam imponere pavorem & timorẽ tui populis sub universo cælo; qui audierint famam tuam, ii trepidabunt*

dabunt & languescent à facie tua. Psalm. 55. 5. 6. Jerē. c. 49. 24. *Fiet ut convertat se ad fugiendum & horrorem febrilem prahēdet. & c. 2. Macchab. c. 3. 17. Jerem. c. 23. 9. Frangitur cor meum in me, eliduntur omnia ossa mea. Ezech. c. 5. 15. 1. Sam. c. 13. 7. Totus populus trepidi accurrerūt post eum. Psalm. 48. 7. Ezech. c. 26. 16. Trepidationes induent, in terra sedebūt, & trepidantes singulis momētis stupebūt de te, et c. 7. 16. 1. Sam. c. 28. 20. 21. 22.*

Denudatio partium corporis quas denudare non decet, habitus & signum est hominis obscęni, immodesti & turpis, & libidinosi. *arg. Genes. c. 9. Clem. Alexand. lib. 2. Pedag. 2. 6.*

Abscondere se, est habitus fallentis & decipientis, vel male sibi conscii. *Genes. c. 3. 9. Timui, eo quod nudus essem, & abscondi me. 1. Sam. c. 10. 22. Proverb. c. 1. 11. Si dixerint, veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus nos contra innocentem impune. Psalm. 35. 7. Absconderunt mihi in fovea rete. & v. 8. 2. Sam. c. 19. 4. Jos. c. 10. 16. 17. Psalm. 110. 7.* Absconsio.

Absondere etiam aliquando est seponentis & custodientis. *Psalm. 31. 20. 21. Psalm. 27. 5. Nam abscondit me in tugurio suo tempore adversitatis, abdit me in abdito tentorii sui. Osea c. 13. 12. Job. c. 31. 33. 34.*

Pinguedine & obesitate corporis instar Monachorū saginatorum uti, est habitus & signū pacis, trāquillitatis & abundantię eorū fere, qui secūdum carnē vivunt, *Rom. c. 7. 5. Job. c. 15. 27. Quia operuit vultū suum adipe suo & ef-* Pinguedo.

fecit strigas ad ilia; hoc est (ut Junius explicat,) obesavit corpus, ut pingue in cute plicaturas effecerit. Psalm. 17. 10. *Adipem suũ obesant: ore suo loquuntur superbe. hoc est, (ut ibidem Junius dicit) prapingues sunt & desideriis suis omnibus circumfluunt, & Psal.* 73. 7. *Emicat pra pinguedine uterq; oculus eorum, superant cogitationes animi,* Jerem. *c.* 31. 14. 25. *Lament.* Jerem. *c.* 4. 5. *c.* 3.

Contrá caro attenuata & pellis consumpta, est habitus afflictorum. *Job c.* 30. 28. *Ater ambulo, non à sole: surgens in congregatione vociferor,* 30. *Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea exaruerunt pra siccitate. Psalm.* 73. 26. *Deficiente carne mea, & vers.* 12. 4. 5. 6. *& Psal.* 22. 15. 18. *Psalm.* 31. 11. *Lament.* Jerem. *cap.* 4. 8. 9. *Concreta est cutis eorum cum osse ipsorum, aret, est similis ligno, & c.* 3. *Ezech. c.* 4. 17. *Psalm.* 42. 11. *Esa. c.* 52. 2. 3.

Inedia. Abstinere ab alimentis, est habitus lugentis & tristitia affecti. 1. *Sam. c.* 1. 7. *Ut fleret, ac non comederet,* 8. *Quamvis diceret ei Elcana vir ejus, Channa quare fles? & quare non comèdis? & quare malè habet animus tuus?* 1. *Reg. c.* 21. 2. *Sam. c.* 12. 17. 20. 21. *Petiit ut apponerent cibum & comedit,* 1. *Sam. c.* 28. 20. 21. 22. 23. *Qua de re videndum in jejunio,* Judic. *c.* 20. 26. Joel *c.* 2. 12. Jon. *c.* 3. 5. 7. 1. *Sam. c.* 7. 6. 2. *Sam. c.* 1. 11. 12. 2. *Chron. c.* 23. *Nehem. c.* 9. 1. *Est. c.* 4. 3. Jerem. *c.* 36. 9. *Act. c.* 13. 2. 3. *& passim alibi.*

Sudor. Sudare est habitus defessi & laboriosi hominis. *Ezech. cap.* 2. 11. *c.* 24. 12. *Genes. c.* 3. 19 *Luc. c.* 22. 44.

Jacere in terra, est imbecillium defessorum & devictorum, mærentiumve habitus. *Esa.c.* 51. 20. *Filii tui dilecti animo, jacent in capite omnium platearum, ut bubalus irretitus pleni excandescentia & increpatione Dei sui, & vers. ult. Qui dicebant animæ tuæ, Abjice te, ut transeamus, quibus exponebas tanquam humus corpus tuum & tanquam plateam transeuntibus. Esa. c.* 50. 11. *In dolore jacebitis*, 1. *Sam. c.* 28. 20. 21. 22. 2. *Sam. c.* 12. 16. 17. 18. 20. 21. *Jacere in confusione, Jerem. c.* 3. 20. *Jacemus in pudore nostro, & operit nos ignominia nostra; quia Deo nostro peccavimus, &c.* 1. *Chron. c.* 21. 16. *Hesra c.* 10. 12. Jacere.

Dormire, est habitus securè & pacificé viventis. *Levitic. c.* 26. 5. 6. *Ita ut cubetis & non sit qui exterreat. Psalm.* 3. 6. *Ego cubui & dormivi: Expergefeci me, quia Jehova sustentat me. Psal.* 4. 9. *In pace simul cubabo & dormiam: cum tu Jehova facias, ut securé habitem*, 1. *Thessal. c.* 5. 6. *Nempe igitur, ne dormiamus ut reliqui, sed vigilemus & sobrii simus, & vers.* 7. 8. 9. 10. *Ezech. c.* 4. 4. 5. 6. *Psalm.* 121. 4. *Psalm.* 44. 24. *Marc. c.* 13. 36. *Ne quum repentè venerit, inveniat vos dormientes, Proverb. c.* 6. Dormire.

Contrà vigilare, est hominis soliciti anxiique. 1. *Thess. d. c.* 5. 6. 2. *Corinth. c.* 6. *& c.* 11. 33. *Cavete, vigilate & orate, & vers.* 34. 35. 36. 37. *Luc.* 12. 37. 38. *Psalm.* 63. *&* 126. *& Psalm.* 120. 3. 4. *Proverb. c.* 8. *Job. c.* 21. *& Psalm.* 127. 2.

Obdormire in loco & tempore quib. cum aliis conversamur, est habitus non magni fa-

cientis colloquia & præsentiam aliorum.

Salutare verbis, gestuve. Salutatio, est habitus & signum pacis & mutuæ charitatis, *Exod. c.* 18. 7. 1. *Sam. c. 13. 10. c.* 10. 4. *Rom. c.* 16. 16. 1. *Corinth. c.* 16. *20. Matth. c.* 10. 12. *Judic. c. 6,* 12. 1. *Sam. c.* 25. 5. *c. 30, 21.* 2. *Sam. c.* 8. 10. *c. 15. 5. Marc. c. 9. 15. Luc. c.* 1. 28, *40. Act. c.* 18. 22. *dixi sup.*

CAP. X.
De vestitu & cultu.

HActenus de motu plurium membrorum corporis simul. Sequitur de horum vestitu & amictu.

Vestitus decorus dicitur, qui personę utentis eo, vocationem, vitæ genus, ætatem, pietatem, temperantiam, sanctimoniam & gravitatem decet. *Tit. c.* 2. *3. Anus itidem ut sint habitu qui sanctimoniam deceat.* 1. *Timoth. c. 2. 9. Itidem & mulieres amictu honesto cum verecundia & modestia ornare se, non cincinnis vel auro, vel margaritis vel pretioso vestitu.* 1. *Pet. c. 3.* 3. 4. *Ecclesiastic. c.* 9. 8. *Esa. cap.* 3. 16. *& seqq. & ad* 1. *Timoth. c.* 2.

Decorus autem & honestus vestitus est, qui comparatus est 1. ad necessitatem & utilitatem corporis ejus, qui eo utitur. 2. qui est conformis & aptus corpori. *vide Clement. Alexandri. lib.* 3. *Pædag. c.* 11. *Varro. de Latina lingua, Pet. Greg. lib.* 4. *de Repub. c.* 11.

Necessitas & utilitas vestitus in eo est, ut corpus contra injurias caloris, vel frigoris munia-

niatur. Deinde, ut tegatur nudi corporis deformitas, quę secuta est post peccatū. *Genes. c.* 3. 7. 21. & ut excessus, vel defectus quo corpus seu membrum aliquod corporis, á natura vel casu deformatum est, quantum fieri potest, occultetur veste. *unde vestimentum, quasi nuditatis velamen dicitur, 1. Corinth. c.* 12. 23. *Et quæ putamus mēbra corporis maxime esse inhonesta, iis honorē ampliorē circūponimus; Et quæ sunt in nobis indecora, copiosiorem habent.* 24. *Nā quæ sunt in nobis decora, iis decore nō est opus: sed Deus contēperavit corpus, ei cui deerat copiosiore tributo honore,* 25. *ut ne sit dissidium, &c.* Deniq; ut ex eo appareat distinctio sexus, ætatis & vocationis, seu status in quem quilibet est collocatus. *Deut. c.* 22. 5. Ne esto instrumentum virile super fæminam, neque induito vir vestem fæminæ: nam abominationi est Jehovæ Deo tuo quisquis facit ista. *Esa. c.* 3. 17. *& seqq. Tit. c.* 2. 3. *Clem. Alexand. lib.* 3. *c.* 2. *c.* 3. *Pædagog. Eccles. c.* 19. 27. *Vestitus viri & gressus pedis, & risus dentium, enuntiant constitutionem ejus. Pet. Greg. de Repub. lib.* 4. *c.* 11.

Conformis vestitus est, qui pro ratione vocationis, opificii & vitæ est comparatus, & adcōmodatus cōditioni utentis, & aptus corpori, & tēpori & loco, in quo vivit qui eo utitur.

Mulieribus vestes delicatiores concessę, sed quæ tamen honestatem in matronis & pudicitiā non offendūt juxta mores regionū. 1. *Pet. c.* 3. 3. 4. 1. *Timot. c.* 2. 9. *arg. l.* 7. §. *si quis, de jurejur.*

Viros seu masculos vestitus non nimiū ornatus, neque adfectatus, vel preciosus decet, *Gregor. d. loco. vid. tit. C. Theodos. De habitu, quo uti oporteat intra urbem, lib. 4. tit. 10.*

Ex hisce colligitur, quis vestitus indecorus, incivilis & incompetens sit dicendus, qui nimirum necessitati, vel utilitati non respondet; vel corpori non est adcommodatus & aptus; vel inconveniens circumstantiis.

Utilitati & necessitati in excessu repugnat vestitus supervacaneus, alienus; in defectu veró, nuditas.

Supervacaneus vestitus cernitur in sumptuoso, luxurioso, superfluo nimis & exquisito vestitu, & in prodigioso inaurium pretio. *vid. tit. C. de vestib. holoseric. & aurat. Senec. De remed. fortun. & lib. 7. De benef. & De beat. vita. Juvenal. Satyr. 6. Plin. 12. in Procem. Isidor. Etymol. lib. 19. c. 21. Jerem. c. 4. 30. Esa. c. 3. 18. & seqq.*

Huc refero etiam eos qui habent cerussatā, vel oblitam faciem rubore, croco, cerussa, stibio, pigmento, fuligine, spuma. de quo fuco, unde agunt personas larvatas, cerussatas, purpurissatas, stibiatas & fucatas impudēter mentientes, *vide Jerem. c. 43. 30. 51. Esai. c. 57. Ezech. c. 23. 13. 14. & seqq. 2. Reg. cap. 9. 30. 31. Proverb. c. 7. 10. 11. Tiraquell. De legib. connub. lege 3. num. 1. & seqq. & dixi latius lib. 1. Dicaolog. cap. De falso. Atq; talis habitus dicitur meretricius & impudicus. vid. Clem. Alex. lib. 3. c. 2. Pedag. & c. 3.*

Ejus-

Ejusmodi quoq; sunt, qui pilos tingunt, canos ungunt, coloribusq; oblinunt, ad speculum componunt, genas radunt, vellunt, aures perforatas habent, in quibus pensiles gerunt margaritas, vel aurum, argentum, lapidesve pretiosos. *Clem. Alexand. libr. 3. c. 11. Padag. Refert Gellius lib. 3. c. 5. Archesilaum philosophũ cum vocem delicati divitis infractam, capillumque arte compositum & oculos ludibundos, atq; illecebra voluptatisq; plenos videret, dixisse*; Nihil interest, quibus membris cinædi sitis, posterioribus an prioribus. *De Demosthene & Hortensio delicatulis, idem Gellius libro 1. c 5. tradit.*

Alienus autem vestitus dicitur, qui sexum utentis non decet; ut puta, si vir muliebri, & mulier virili vestitu, vel amictu incederet. qualis est abominationi Jehovæ, *Deut. c. 22. 5.* quô pertinet etiã vestitus larvatorum hominum. Item delicatorum illorum, qui instar mulieris se comunt, atque exornant; ita ut aliud sit ornatus, aliud persona; quales sunt illi, qui capillitium, barbam & cæsariem ita in anulos crispatam ferro candenti habent, vel cirris & miris artibus intortas comas; & faciem, collum, manus ita præter modum cerussatas & fricatas, ut talis ornatus quamcunq; mulierculam dedeceret; imo meretricem quoq;, quæ pretio pudorem suum prostituit.

Ejusmodi cincinnatuli & calamistrati Androgyni, ingenia sua monstrosa & effæminata hoc habitu, & vestitu & amictu suo omnibus

ostendunt. *Martial. Satyr. 1. & 12. Epigram. Paul. lib. 3. Sent. tit. 6. § 8. Senec. lib. 6. epist. 47. & lib. 22. epist. 125. & lib. 7. Natur. & De vita brevitate, ubi dicit, de corporis sui decore magis hoc ce quam de salute solicitos esse, qui comptiores, quam honestiores esse malunt: hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos? vid. Tertullian. De cultu famin. an unguentis & coronis utendum sit; vid. Clement. Alexand. lib. 2 Pæd. c. 8. & lib. 3. c. 2. c. 3. ubi etiam de effeminato cultu masculorum & lascivo vestitu mulierum differit late. & c. 11. de fuco, vid. Martyr. 2. Reg. c. 9. & Pet. Gregor. lib. 4. c. 11. de Repub.* Huc etiam refero vestitum exoticum, peregrinum & alienum à vestitu recepto, & usitato. *vide Petr. Gregor. libro quarto, cap.* 11. *De Republica.*

Nuditas, est habitus inopis & egeni hominis. *Osea c. 2. 5.* & indicium rerum afflictarum; *Jerem. c. 13. 23. 1. Sam. c. 19. 2. Sam. c. 15. 30. Mich. c. 1. 8. Esa. c. 47. 3. Ezech. c. 16, 37. Apocalyps. c. 3. 18. c. 16. 13.* & quandoque hominis lymphatici, phrenetici, furiosi, impudentis, ebriosi & malitiosi: *Genes. c. 9. Clem. Alexand. lib. 2 c. 7. Pædag.* & quandoque obscœni, & libidinosi hominis, ostendentis ea, quæ natura occulta esse voluit. *vide Clement. Alexandrin. libr. 3. cap. 5. Pædagog.*

Corpori non adcommodatus vestitus, dicitur inhabilis, ineptus, qui modo major, modo minor corporis membris. Major, uti quando

do quis more agasonum & aurigarum dissolutis vestibus utitur, ut thorax cũ caligis confligere velle videatur. Ejusmodi sunt prægrandes illi pilei & corrugatæ fasciæ, circa collum serpentes. nec non thoraces illi tumidi, ac si hydropicum aliquem tegerent, vel pullos instar prægnantis scrophæ: tales, inquam, prodigiosé prominentes illi ventres, gossipio aut pilis infarti, quibus multi faciunt se προγάστορας. *vid. Clement. Alexand. libr. 3. cap. 2. Pædagog. & cap. 3.*

Tales etiam sunt prolixæ illæ fæminarum caudæ. Tales etiam vestes aptæ quidem corpori, sed quę tamen in alterum latus defluant, aut in tergum ad renes usque inęqualiter & incomposité; vel rejectis circa humeros tunicis, ac manticis in terram propendentibus atque demissis incessus.

Mulieribus crines sufficit mollire & tenui aliqua fibula comam alligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulchritudinem alentib. Alienorum capillorum appositiones sunt omnino rejiciendæ. *vide Clement. Alexandrin. libr. 3. c. 11. Pædagog.*

Neq; pilos tingere, vel canos colorare honestum, vel decorum, sed potius, quod Dei decus, in apertum proferendum, ut id honorent adolescentes. *d. c.* 11.

Huc refero etiam lacerationes, dissectiones, alligationes & varietates vestium versi-

colorum, qui est habitus morionum & simiarum Vestes etiam aspergine lotii, atramenti, luti, pituitæ, pingere vel incrustare, est sordidorum.

Hujus generis est quoque nimium studium & cultus corporis & vestitus, quæ hominem delicatum, mollem & sui ipsius amantem arguunt. *de quibus Cato:*

Invidiam nimio cultu vitare memento:
Quæ si non lædit; tamen hanc sufferre molestum est.

Minore vestitu utuntur, qui pileis illis parvis gaudent, pallio brevi, caligis angustis, quibus ad vivum membra corporis, quæ vestiuntur hisce, exprimuntur: ita ut nonnunquam illa quæ natura tegi voluit, occultari vix possint, aut adversus injurias externas corpus protegere nequeant. *Clemens Alexand. d. c. 2. & c. 3.* qui vestitus convenit cinædis, simiis & cercopithecis.

Vestitus circumstantiis inconveniens est, qui non respondet vitæ generi & professioni utentis, quive non est adcommodatus tempori, loco, vel consuetudini; quibus ostenditur contemptus eorum, qui aliter vestiti incedũt.

Non respondet vitæ generi, officio & vocationi, quando scholasticus more militis, & hic instar scurræ vel histrionis scenici harenarii amictus incedit: Ecclesiasticus, civis, aliusque honoratus, vestitu rustico, sordido; honesta fæmina, vel matrona, habitu & amictu meretricio

tricio utitur. *l. 15. item, §. 15. si quis. de injur. ubi Gothofr. Genes. c. 38. & c. 24. vid. Macrob. libr. 1. Saturn. c. 6. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 18. Genial. dier. & Pet. Greg. lib. 9. Syntagmat. c. 19. & tit. De vit. & honest. cleric. Gellius lib. 9. c. 2.*

Huc pertinent illi, qui vestitu altioris ordinis & status utuntur, digitos anulis, pileos ac vestes bullis & gemmis exornant, vel collum torquibus aureis onerant, ac si genere, familia, divitiis, honore & gloria potiores essent; quo habitu produnt vanitatem, inanis gloriæ cupiditatem & fastum suum. *vid. Sueton. in Jul. Cæsare, Dion. libr. 49. histor. & constitut. Imperii, & Cod. Theodos. tit. 10. De habitu quo uti oporteat, &c. lib. 4.* Inferiorem & humiliorem vestibus illis induere est illudentis. *Marc. c. 15. 18. 19. 20. Matth. c. 27. 28. & seqq.*

Tempori accommodatus vestitus non est, quando tempore pacis, lætitiæve quis utitur vestitu usitato tempore belli, vel luctus, aut contrá. Similiter, quando quis capitis integumento nocturno, interdiu utitur, eoq; in conspectum aliorum prodit; vel dentiscalpium sive auriscalpium, omni tempore & loco è collo vel alio loco suspensum, vel pendile gestat.

Loco, consuetudini receptæ, & personis præsentibus vestitus inconveniens est, qui harum dignitati non respondet. *Matth. c. 22. 11. Intravit autem Rex, ut videret discumbentes & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali: 12. Et ait illi, Quomodo huc intrasti, non habens*

vestem nuptialem? Judith. c. 12. 15. *Genes. c.* 41. 14. *Joseph cum abrasisset caput, venit ad Pharaonem,* & *c.* 50. 4. *ubi* Jun. *Daniel, c.* 1. 4. & *seqq. Luc. c.* 7. 25. *Ecce, qui vestitu magnifico utuntur, sunt in palatiis regum, Ester cap.* 4. 2. & *sequent.*

Vestitus candidus, est habitus puritatis & innocentiæ, *Apocalyps. c.* 3. 4. *Qui non inquinarunt vestimenta sua, ideoq; incedent mecum albati: digni enim sunt.* 5. *Qui vicerit, amicietur vestimentis albis,* & *c.* 19. 8. *Et datum est ei ut amiciatur bysso pura* & *splendida. Byssus enim justificationes sunt sanctorum,* Johann. *cap.* 20. 12. *Matth. c.* 17. 2. *Actor. c.* 1. 10. *Ecce viri duo adstiterunt illis albo vestitu. Sic enim Angeli boni usi leguntur albo vestitu. Matth. c.* 28. *Marc. c.* 16. *Joh. c.* 20. & *Christus, Marc. c.* 9. & *Matth. c.* 17. *Luc. cap.* 23. *vid Ecclesiast. c.* 9. 10. *Baptizandorum vestitus olim quoq; candidus erat in primitiva Ecclesia. Stuckius lib.* 2. *c.* 26. *convivial. antiquit.* & *Clemens Alexand. Pædag. libr.* 2. *c.* 10. & *lib.* 3. *c.* 11.

Ergo lætitiæ, puritatis, integritatis, sinceritatis, felicitatis, libertatis, victoriæ, habitum indicat color vestium albus. *vid. Lips. Elect. c.* 13. *lib.* 1. *Stuck. d. lib.* 2. *c.* 26. *Clement. Alexand. d. loco. Paul. lib.* 1. *Sentent. tit. de sepulch. Alex. ab Alexand. lib.* 5. *Genial. dier. c.* 18. *Ideo in honorum* & *munerum petitione competitores albo vestitu utebantur, et candidati dicebantur. Stuck.* & *Plutarch. d. locis.*

Contra

Contrá autem vestitus ater & vestes pullatæ, habitus & signum sunt tristitiæ & luctus. *Psalm. 35. 14. Tanquam ad proximum, tanquā ad fratrem mihi indesinenter itarem, tanquam lugens matrem atratus curvarem me. Psal. 42. Quare atratus incedo propter oppressionem inimici? Jerem. c. 8. 21. Propter contritionē filiæ populi mei, conteror, atratus incedo, stupor corripit me.* Vestium lugubrium color apud Romanos erat ater, vel cæruleus. *vid. Alexand. ab Alex. libr. 3. Gen. dier. c. 7. Paul. lib. 1. Sent. tit. De sepulch. Stuck. lib. 1. c. 26. convivial. antiquit.*

Vestitus varii coloris, index est animi inconstantis: contrá, purus, simplex, moderati & temperantis. *Clem. Alex. lib. 3. c. 11. Pædag.*

Vestes ægrotantium, peculiares quoq; esse solent. *vid. Senec. lib. 4. Natural. c. 13. Sueton. in Claud. c. 2. Quintilian. 11. c. ult.*

Vestitus decorus, mundus, purus, ætati & vocationi respondens, index est animi honesti & moderati. *Clem. Alexand. lib. 3. c. 11. Pædag.*

Vestitus sordidus, est habitus miserorū aut occupatorum hominum, *2. Sam. c. 19. 25. Mephiboseth quoq; nepos Saulis, descenderat obviam regi, non curaverat autem pedes suos, neq; curaverat mystacem suum, & vestes suas non laverat, ex quo die abierat Rex.* Et quandoq; pauperis. *Jacob. c. 2. 2. Ingrediatur autem et pauper cum sordida veste. Hebr. c. 11. 37. Oberrarunt cum ovilis & caprinis pellibus, destituti, pressi & male vexati, Zach. c. 3. 3.*

M 2

Digitized by Google

Vestitus luxuriantium & lascivientium, & superbientium fœminarum, graphicè describitur ab *Esa. c. 3. 18. 19. & seqq. ubi* Jun. Vestitus sacerdotalis, *Zachar. c. 3.*

Nimius etiam cultus corporis nitidus, venustus, & nimis accuratus summis viris probro datur, *ut scribit Gell. lib. 1. c. 5. de Demosthene & Hortensio.*

Vestitus regius & amplissimæ dignitatis, describitur *Est. c. 15. 16. Tu scis necessitatem mihi impositam, me detestari signum istud meum superbia, quod in capite meo gero, quibus me spectandam prabeo, me detestari istud ut pannunculum ex mensibus. Est. c. 8. 15. Ita Mardochai egrediebatur è conspectu Regis, cum indumento regio, hyacinthino & albo, coronaq; aurea magna & stola byssina, aut purpurea. Daniel. c. 5. 29. Matth. c. 11. 8. Ecce, qui gerunt molles vestes, in domibus regum sunt. Luc. c. 7. 25. Ecclesiast. c. 40. 4. Æquè ferenti hyacinthinum & coronam, atq; amicienti linum crudum. Daniel. 5. 7. Quisquis legerit scripturam hanc & interpretationem ejus indicaverit mihi, purpura induetur, cumq; torque aureo ad collum ipsius, ac tertius in hoc regno dominabitur, & vers. 16. 29. Genes. c. 41. 41. Vide, constitui te super universam terram Ægypti, 42. Detrahensq; Pharao anulum suum è manu sua, indidit in manum* Josephi, *jussitq; illum induere vestes xylinas, & apposuit torquem aureum collo ejus. Ester c. 6. 8, 9. 10. 11.* Corona index gloriæ & dignitatis. *Job. c. 19. 9. c. 31. 36. Psalm. 21. 4. vid. Esa.*

Esa. c. 28. 1. vid. tit. C. de vestib. holoseric. & aurat. Clem. Alexand lib. 2. c. 8. Pædag. & c. 10. c. 12. & de Repub. lib. 4. c. 11. P. Gregor. & lib. 9. Syntagm. c. 19. & infra in Ethica propria.

Arma gestare & circumferre secum, est habitus hominis sibi metuentis, & se contra vim & injuriam illatam, aut læsurum defendere cupientis. *Nehem. c. 4. 13. Constitui etiam populum per familiam cum gladiis suis, spiculis suis & arcubus suis, & vers. 14. & seqq. Est. c. 8. 11. 12. Matth. c. 26. 47. Judas unus ex duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, a primariis sacerdotib. & senioribus populi. & vers. 55. Ut adversus latronem exivistis cum gladiis & fustibus, ut comprehenderetis me. & 1. Sam. c. 25. 13. dixit David hominibus suis, Accingite quisque gladium suum, quibus adaccingentibus singulis gladium suum, accinxit quoque David, & Matth. c. 26. 51. Et ecce unus ex eis qui erant cum Jesu, extensa manu distrinxit gladium suum, & percusso servo Pontificis maximi, abstulit auriculam ejus, 1. Chron. c. 12. 34. & seqq. 1. Sam. c. 17. 5. 6. & seqq. 43. 49. c. 21. 9. Praterea dixit David Achimeleco, an non est hic penes te hasta aut gladius? nam nec gladium meum, nec arma mea accepi in manum meam, &c. & vers. 10. c. 14. 7. & seqq. 21. c. 13. 19. 20. 21. 22. Genes. c. 14. 14. Deut. c. 19. 11. Psalm. 7. 13. 14. Ezech. c. 32. 11. 12. 13. Exod. c. 15.*

CAP. XI.
De habitu & gestu adsumpto.

ATque talis fuit habitus naturalis, insitus & innatus,communiq; hominũ omnium judicio approbatus: sequitur de adsumpto.

Est autẽ adsumptus habitus, qui ex placito & judicio plurium hominum efformatur & assumitur: Unde est quod hic non omnib. cõmunis sit,neq; idem&similis semper,neq;eandẽ certãq; apud omnes significationẽ habeat.

Ejusmodi habitus & gestus adsumptus rursus est consuetudinarius, vel arbitrarius.

Consuetudinarius dicitur, qui ex frequenti alicujus loci, vel hominum quorundam usurpatione frequentatur.

Hic igitur habitus consuetudinarius non à nostra voluntate aut libero arbitrio originem suam trahit, sed á lege,hoc est, communi consuetudine nobis imponitur. In illis autem rebus,quæ nullo cum scelere, sed potius cũ specie quadam urbanitatis sunt conjunctæ, oportet & decet communi consuetudini obedire, eique neque disputationem neque litem movere, ut *Galateus ait*. Itaque consuetudini Ethicus se prudenter adcommodare debet tanquam Polypus,ne aliâs ipse suo singulari &discrepanti habitu & gestu alios contemnere, vel vilipendere videatur, vel improbare eosdem, eorũque mores publicos, quo nomine invisos sibi populares reddit, eorumque oculos in se con-

convertit, quorum commune & publicum judicium in vestitu vel moribus contemnit, dum se iisdem non conformat. Ideo recte *Seneca:* Non conturbabit sapiens mores publicos receptos; nec judicia, vel populum in se vitæ novitate convertet. & Cato,

Judicium populi nunquam contempseris unus:
Ne nulli placeas, dum vis contemnere multos.

In Italia blandi & nimii gestus grati sunt; sicut & in Gallia. In Germania moderatio & gravitas in gestibus accepta.

Ejusmodi actiones & gestus seu ceremonię plurimę hodie sunt, aliæ tamen atq; alię in diversis nationib. & regionibus: in quorũ gestuũ usu, ratio habẽda regionis, uti dixi, ejus, in qua vivis; item, temporis, ætatis & cõditionis cum illius, apud quem vivis, & uteris hisce ceremoniis, tum etiam nostræ conditionis. Referam autem hîc habitus & gestus consuetudinarios & usitatos potissimum apud Judæos, qui quatenus & quantum in qualibet alia regione & populo sunt recepti, experientiâ & civiles politici testari possunt.

Salutatio ceremonialis gestu motuque corporis totius, vel certarum partium, fiebat apud Judæos, Romanos & Græcos. Eratq; duplex; Prior, quæ fiebat sine contactu illius qui salutabatur. Illa erat capitis certus quidam motus & habitus, quod in salutationibus moveri & inclinari solebat, & aliquando velari atque tegi, aliquando aperiri & denudari.

Detecto capite Romani, homines & Deos salutabant. *Joh. Guil. Stuckius lib. 2. c. 32. convival. antiquit. ubi hoc ipsum multis exemplis probat Egnat. lib. 9. c. 11. Bonfin. lib. 10. Decad. 3. Olaus lib. 11. c. 11. 1. Cor. c. 11. ubi inter masculos & fœminas recte Apostolus distinguit.*

Manibus quoque salutatio fiebat, quando scilicet dextera ad osculum referebatur & corpus circumagebatur. *Plin. lib. 28. c. 2. vid. Cælium Rhodigin. lib. 7. c. 15.* De manuum extensione & expansione in supplicationibus, *vid. 1. Reg. c.* 8. Hodie manus osculantur & deinde porrigunt in salutando. Huc pertinet quoque geniculatio, *γονυκλισία*, quæ hodie usitata, *ut dixi supra in Incurvatione.* Huc etiam totius corporis prostratio. *Genes. c. 48.* 12. *Esa. c. 44. 15. 41. 43. Matth. c. 4. c. 18. Apocalyps. c. 7. Act. c. 10. arg. Roman. c. 14. Act. c. 7. & 20.*

Salutatio, quæ fit cum apprehensione sive contactu eorum qui salutantur, varia & olim, & hodie est. Osculum vero olim & hodie valde usitatum. Moris olim fuit mentum attingere ejus, qui salutabatur, *uti probat Jo. Guil. Stuckius ex Homero, quo refert etiam exceptionem illam filii perditi. Luc. c. 15. 20. & seqq.*

Veteres manus quoque dexteræ apprehensione, atque osculatione, seinvicem salutabant & pacta inibant, *uti ex Homero probat Stuckius. sic Jacobus Rahelem osculo salutabat, & Laban Jacobum. Sic Paulus osculo charitatis alios salutare jubet, 1. Corinth. c. ult. sic Christus salutantes se oscu-*

osculo excepit. vid Polyd. Virgil. lib. 4. De invent. c. 13. & Plutarch. in Quaestion. Roman. quaest. 6. De dexteræ apprehensione præterea *vid. Sabellic. lib. 5. Ennead. Plautum in Pœnulo. et in Asinariā, ubi Leonida ad Philenium hisce ceremoniis utitur. & in Amphit. & Virgil. lib.* 7. *Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse Tyranni. Valer. Maxim. lib. 5. c. 5. Bonfin. libr.* 7. *decad.* 1. Hodie quoque dexterarum conjunctione salutare solemus. *Pithaeus lib.* 1. *Adversar. c. 7. ubi* Job. *c. 30. 13. Ecclesiast. c.* 29. *explicatur, & Pierius in suis Hieroglyphicis libr. 35.*

Ad genua vel pedes procidere, sive procumbere, ea attingere, exosculari denique in salutationibus & supplicationib. veteres consueverunt, *uti ex Homero, Virgil. libr. 3. & 10. Ovid. lib. 9. Metamorph. & 13. Plauto in Rudente, Livio lib.* 45. *Sueton. in Tyber. & Claudio, 2. Reg. c. 4. Genes. c.* 48. *12. Stuck. d. loco. probat.*

Pedum exosculatio usitata quoque fuit in salutationibus & supplicationibus veterum. *Luc. c.* 7. *&* osculum mutuum. *Exod. c.* 18. *Genes. c. 33. c. 39. Tob. c. 7. Genes. c.* 45. *Luc. c. 15. 1. Reg. c. 19. 20. Genes. c.* 48. *10. Ruth. c.* 1. *Genes. c. 31. 2. Sam. c. 19. Tob. c. 10. ex quibus constat*, Judæis usitatas fuisse salutationes per osculum in congressu & digressu amicorum.

Erat etiam quandoque osculū reconciliationis symbolum, *uti* 2. *Sam. c. 14. Luc. c.* 15. vel virtutis approbatæ in alio, 3. *Esd. c.* 4. *Proverb. cap.* 24. *Matth. c. 26. 2. Sam. cap. 20. c. 15.*

vide Cal. Rhodigin. lib. 15. c. 9. & lib. 4. c. 3. Plutarch. in Problem. problem. 6. Pier. in Hieroglyph.

Ab osculo differt basium, quod est pudicorum affectuum; & suavium, quod libidinum, vel amoris; cum osculum officiorum sit habitus & gestus.

Pompon. Latus in compend. Rom. histor. dicit Imperatores suas manus osculandas suis nobilibus præbuisse, quos postea suis manibus sublevabant ad oris osculum. Vulgus genua osculabatur. Diocletianus sanxit, ut omnes sine generis discrimine, prostrati, pedes ipsius exoscularentur. *Sueton. in Caio Caligula*, qui manum, vel pedem ad osculandũ præbebat etiam senatoribus. Seneca idem testatur de Julio Cæsare. *vid. Polyd. Virgil. lib. 4. c. 13. & Alex. ab Alexand. lib. 2. c. 19. Blond. decad. 2. lib. 2. & lib. 1. decad. 1. Crantz. in Metropol. lib. 2. c. 1. & Platin. in vitis Pontific.*

Ratio quare Veteres in salutationibus & supplicationibus caput, dexteram, genua eorum quos salutabant, attingebant, & osculabantur, erat quod hisce partibus corporis inest præstantior facultas, quam in cæteris, & quia auguria, finis supplicandi, hisce inerat. *Vide Plin. lib. 11. c. 45. Isidor. lib. 11. origin. Stuck. d. loc.*

Cõplexus totius corporis in salutationibus apud multos usitatus fuit. *Genes. c. 48. 10.* In nostris regionibus ad mutuã benevolentiam observantiamq; præstandã & demonstrandam videmus usitatum esse caput aperire, corpus incli-

inclinare, procidere in pectus, dexteram porrigere, quibus testamur nos paratos esse nos ipsos amicis tradere.

Capitis nudatio ad honorem præstandum & testandum facere videtur, & simul eodem gestu aures quoque detegimus, quo ipso indicamus, nos ad audiendum, jussa capessendum & obediendum cum quodam prolubio promptos esse. *vid. Alex. ab Alex. libr. 2. c. 19. Gen. dier. Stuck. lib. 2. c. 32. & c. 31. convivial. antiquit.*

Apud Judæos habitus lugentium, erat caput calvum, rasum, & barba præcisa, & saccus in lumbis. *Jerem. c. 48. 37. Nam omni capiti calvitium erit & omnis barba exsecta, in omnibus manibus cæsura & super lumbos cilicium.* Ejusdem argumenti erat habitus caput terra inspargentis, operientis, vestes lacerantis, & similes. *de quibus Job. c. 2. 12. Postea vociferantes fleverunt & lacerantes quisque pallium suum, inspersarunt pulverem capitibus suis, vociferantes in cælum usque. 1. Sam. c. 4. 12. Tum currens quidam Biniaminita ex ipsa acie venit Schiluntem eodem die, vestibus suis laceris, & terra capiti suo inspersa. 2. Sam. c. 1. 2. Quidam venit e castris Saulis vestibus suis laceris & terra imposita capiti suo, c. 15. 32. Ut ecce Chusai Arcæus obviam veniret ei lacerata tunica sua & terra imposita capiti suo. Nehem. c. 9. 1. Congregatis Israelitis in jejunio & ciliciis, & terra ipsis imposita. Ester cap. 4. 2. Lacerans Mordecai vestimenta sua, induit cilicium cum cinere, & seqq. Jerem. cap. 2. Atrati erunt*

humi jacentes, 3. Erubescent & pudore suffusi operient caput suum, & vers. 4. 2. Sam. c. 15. 30. David opertus capite suo & pergens discalceatus, & seqq. 1. Chron. c. 21.16. Ideoq; procidit David & seniores tecti ciliciis in faciem suam. Ezech. c. 42.17. Clamare desiste, mortuorum luctum ne facito, tiaram tuam alliga tibi & calceos tuos apponito pedibus tuis, neq; obvelato mystacem, &c. & vers. 22. Levit. c. 13.45. c. 19.27.28. c. 21.5. Mich. c. 3.7. Esai. c. 16.2. Moab ejulabit: in omnibus capitibus ejus calvitium, & omnis barba excisa. 3. In compitis ejus accingentur cilicio, &c. Jos. c. 7.6. Jehosua autem lacerans vestimenta sua, procidit super faciem suam in terram ante arcam Jehova usq; ad vesperã, ipse et seniores Israelis: imposueruntq; pulverem quisq; capiti suo, 1. Chron. c. 21.16. Apocalyps. c. 18.19. Act. c. 22.23. Jer. c. 41.5. Ut venirẽt homines Schecemo, Schilũti, et Schomrone, octoginta viri rasi barba & laceri vestibus, ac incidentes sese, &c. & c. 48.37. Nam omni capiti calvitiũ erit & omnis barba exsecta, in omnibus manibus caesura, & super lumbos cilicium, 2. Macchab. c. 3.19. Et succincta sub mammas mulieres ciliciis vias implebant, &c. Luc. c. 23.48. Et omnis turba quae simul ad hoc spectaculum accesserat, spectans quae facta erant, verberans pectora sua, revertebatur. & c. 18.13. Publicanus autem procul stans, nolebat vel oculos in caelum attollere, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus placator mihi peccatori, & Actor. c. 14.14. Quod cum audissent Apostoli Barnabas et Paulus, disruptis pal-

liis suis, insilierũt in turbam, & c. 22.23. Clamantibus autem iis & projicientibus pallia, & pulverem jactantib. in aëra. Joel. c. 2.12. Quapropter etiam nunc dictum Jehova, convertimini ad me ex toto animo vestro & jejunio & fletu & plãctu, 13. Lacerate igitur corda vestra, ac nõ vestes vestras. Jerem c. 30 6. Interrogate jam & videte, an pariat mas. Cur video unumquemq; virũ stare manibus suis appositis ad lumbos suos, velut puerperam & cõversos esse omnes vultus in speciem morbi regii? 2. Sam. c. 19.25. Mephiboset quoq; nepos Saulis descenderat obviam regi, nõ curaverat autem pedes suos, neq; curaverat mystacẽ suũ, & vestes suas non laverat, ex quo die abierat rex. Jesa. c. 20.2. Abi & solve illud ciliciũ à lumbis tuis & calceamentum tuum extrahe de pede tuo. Qui fecit ita, incedens nudus & discalceatus, & vers. seq. 1. Chron. c. 21.16. Ideoq; procidit David & seniores tecti ciliciis in faciem suã, & c. Esa. c. 52.2. Excute te ipsam é pulvere, surge, sede, c. 3.27.25. Loco operis impexi calvitium, & loco segmẽtatæ cycladis, cinctus cilicii, ustio loco pulchritudinis, 1. Samuel. c. 28.20 21. & seqq. 2. Sam. c. 12.16.17.18.19.20.21. Ezech. c. 26. 6. Jonæ c. 3.6.7. De habitu fœminæ lugentis vid. Jer. c. 2.37. 1. Reg. c. 18. 42. & variis variarũ gentium gestibus lugendi, vid. apud Alex. ab Alex. libr. 3. Genial. dier. c. 7. De vestium laceratione vide Genes. c. 37.29.34. c. 44.13. Num. c. 14.6. Judic. c. 11. 35. 1. Sam. c. 4. 11.12. 2. Sam. c. 13.19.31. c. 15. 32. 1. Reg. c. 21. 27. c. 5.7. c. 6.30. c 11.14. c. 18 37. c. 22.11. 1. Esd. c. 9.3. Job. c. 1.20. c. 2.12. Matt. c. 26.65. Marc. 14.63.

Erat quoq; peculiaris vestitus pœnitentiū, deprecantium & lugentium apud Judæos. *1. Sam.c.*14.*3. Dixitq; ei, age quæso, lugentem, & indue te jam vestibus lugubribus, neq; ungitor oleo, sed esto sicut mulier, jam dies multos lugēs de mortuo, & c.12.20. Ezech.c.7.17.*18. *Et accingent cilicia.* Jon. *d.c.3.6.*7. *Esa.c.*3. *25. Est.c.4.2. Psal.* *30.*12. *Nehem.c.9.*1. 1. *Chron.c.21.16. Matth.11.* *21. Si Tyri & Sidone editæ fuissent virtutes, &c.2. Sam.c.*3.31. *Postea edixit David* Joabo *& toti populo, Lacerate vestimenta vestra & accingite vos ciliciis, ac plangite ante Abnerum, 2. Chron.c.*23. *13.*1. *Reg.c.21.27.28.*

Peculiaris quoq; vestitus sacerdotum erat, *de quo Exod.c.28.29.c.39.c.40. Zachar.c.3.3.4. & seqq. Levit.c.*8. *Num c.15.38.* Pharisæorū item & Scribarum, *de quo Marc.c.12.38. Luc.c.20.45.*& Prophetarū, 1. *Reg.c.19.19. Matth.c.3.4.5. Marc.c.1.6.* Et Regum, 1. *Macc.c.10.21. Est.c.8.3.1 Reg.c.10. Dan.c.5. Zach.c.6. Esa c.28.1.2.3.4.5.* & Divitum, *Luc.c.16.19.* Jac *c.*2. Primogenitorum *Gen c.27.15.27.* Lasciviendiū, *Esa. c.3.17. & seqq. ubi* Jun. viduarum, *Gen.c.38.14.* nuptialium, *Matt.c.22.* De Romanorum toga prętexta, candida, pura, sordida, picta, palmata, purpurea; item trabea, stola, pallio, tunica, penula, & aliis vestium generibus, *vid.* Joh. *Rosin. lib.5.c.31. & seqq. antiquit. Roman. Lazarū Bayfium de re vestiaria. Sigon. libr.*3. *de* Judic. *Isidor. lib.19. Etymol.c.22. & seqq. Pet. Greg. lib.9. Syntag.c.19. & lib.4.c.11. De Repub.*

Pile-

Pileus, libertatis habitus erat. *Vid. Lipſ. lib. 3. Antiq. lection. Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 5. c.* 21. De cingulorum atque zonarum vario multiplicique uſu, *vid. Stuckium lib. 2. cap. 29. antiquit. convivial.* De veteri Germanorũ habitu & geſtu & veſtitu *vid. Tacit. De morib. German. & Senec. De conſol. ad Albin. & lib. 5. Epiſt. 56. & lib. 2. De ira.*

Operto capite eſſe, vel loqui, apud Judæos erat ſignum & habitus ſubjectionis. 1. *Corinth. c. 11. 4.* Apud Germanos capitis nudatio habitus honorantis alium, *vid. Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. c. 19. &* Joh. Wilhel. *Stuck. lib. 2. c. 32. convivial. antiquit. vid. infra, ubi de Honore & reverentia tracto.*

Manus ſuper caput habens fæmina, prodit animi dolorem & turbationem, *Jerem. c.* 2. 37. 1. *Reg. c. 18. 42.*

Naziræatus voto obſtricti apud Judæos comam in capite alebãt. *Num. c. 6. 5. Judic. c. 13. 7. 14. c. 16.* 17. *Act. c. 24. 5. c.* 18. 18. *c. 21. 24.*

Oſculum Judæis erat charitatis & mutuæ ſalutationis ſignum, 1. *Theſſ. c. 5. 26. Luc. 7. 45. 2. Sam. c. 20. 8. 1. Corinth. c. 16. Actor. c. 16, 16.* 1. *Pet. c. 5. 14. & paſſim alibi.*

Pectoris percuſſio erat illis geſtus miſeriam ſuam profitentis & dolentis, *Luc. cap. 23. 48. cap.* 18. 13.

Jurantes ſuis dominis domeſtici, manũ ſub fæmore ponebant. *Geneſ. c. 24. 2. 9. c. 47. 29.*

Manus elevatæ, erant habitus orantis.

Psalm.28.2. Psalm.77.2.3. & 88. 10. Nehem.c.8. *6.* sicuti quoq; manus orãtis expãsę. *Exod.c.17. 11.* 1. *Reg.c.* 8.22. 2. *Chron.c.* 6.13. 1. *Esd.c.* 9.8.

Manus posita super lumbos, arguebat dolorem impotentem. *Jerem. cap.* 2.37. 1. *Reg. c.* 18.42.

Impositio manus, habitus erat significans potestatis & authoritatis communicationem, & officii & muneris concessionem & traditionem, *Matth.8.3.* 1. *Timoth.c.5.22.c.4.14.* 2. *Timoth.c.*1.6. *Actor.c.6.6. Levit. c.*1.4. *Actor.c.8. 16. Deut.c.34.6.9.* & quandoque signum benedictionis erat. *Genes.c.48.14. Matth 19.15. Marc.c.10.16 c.6.5.6.c.8.23. Luc.c.4.40. Act. c.8.17.c.*13.3.*c.*19.5. *c.*28.8. *c.*9.12.17.

Manus implere, Judæis erat initiari & inaugurari in munere imposito. 1. *Chron.cap.29.5. Esa.c.23.2.*

Lavare manus, innocentiã indicabat. *Psal. 73.13. Matth.cap.*27.24. *Psalm.* 26. *Amos cap.9 31.*

Alia lotio manuum superstitiosa Judęorũ, describitur *Matth.c. 15. 2. ubi Martin. Bucer. in Enarrat. Luc.cap.11.38. Deut.c.*21.6.7. *vide Stuck. libr.2.c.33. Convivial. antiquit. Macrob. lib.*3. *Saturn.c.*1.

De pedum lotione Judæorum, *vid. Genes. c.*18.*4. c. 19.* 2. *Joh.c.*13.*4.14. 1.Timoth.c.5. 10.* 2. *Sam.c. 19.25.* Pedes illoti habitus squalore & mærore hominum affectorum erant. *2. Sam. c.19.25.*

Pede

Pede percutere, est irridere. *Ezech. c. 25. 6 Prov. c. 6. 12.*

Pulverem pedibus excutere, erat habitus communionem & conversationem cum alio detrectantis. *Luc. c. 10. 11. Act. c.* 13 51.

Discalceatum incedere, erat lugentium. *Esa. c. 20. 2. 3. 2. Sam. c.* 19. 25. *Jerem. c.*13. 23.

Procubitus erat illis habitus deprecantis. 1. *Esd. c. 10.* 1. *1. Macch. c.* 4. 39. 2. *Macch. c. 3. 15. Act. c. 19. Matth. c. 26. 39.* Erat quoque olim situs & habitus convivarum, quo tempore lectis ad mensam stratis recumbebant. 1. *Sam. c.* 28. *22. 23. 24. 25. Luc. c. 22. 27. Nam uter major est, qui discumbit, an qui ministrat? c. 14. 6.* 7. 8. *c. 9. 14. 15. Matth. c 14. 6. & seqq. c. 26. c.* 8. *Luc. c.* 7. 37. *38. vid. Rosin. in antiquit. Roman. & Stuck. lib.* 2. *convivial. antiquit. c.* 34.

Genibus flexis veteres ut plurimum orabant. 2. *c. Chron. c. 6. 13. c.* 7. 3. *Dan. c. 6. 9.*

Stare in tẽplis, habitus erat orantis 2. *Chronic. c.* 7. 9. *c. 6. 2. Esa. c. 49.* 7. *Luc. c.* 18. 13. *Matth. c.* 26. 62. *Est. c. 8. 4. Habacuc. c.* 2. 1. *Act. c.* 1. 2.

Ambulare, Hebræis erat habitus hominis suum munus expedientis. *Zach. c. 3. 7. 2. Sam. c. 4. 35. Marc. c. 10.* 2. *Matth. c.* 23. 8. *Psalm. 70.* 21. *Nah. c.* 3. 7 *Job. c.* 2. 11.

Unctio Judæis erat habitus, officii gravis impositi: nimirum regii, sacerdotalis, vel prophetici, *Levit. c. 43. Num. c.* 3. 3. 1. *Sam. c.* 19. 1. *c.* 16. 13. *Exod. c.* 29. 7. 1. *Reg. c.* 19. 16. *Exod. c.*

30. 23. & seqq. Luc. c. 7. 38. 39. 44. 45. 46. Esa. c. 61. 1. Psalm. 89. 21. Corpora etiā mortuorum ungebantur, *Genes. c. 50. 2.* & ęgrotorum. *Marc. c. 6. 13. Jacob. c. 5. 14.* & regum deliciis unctio adscribitur. *2. Reg. c. 20. 1. Chron. c. 9. 2. 2. Chron. c. 16. Est. c. 14. Esa. c. 57. Daniel. c. 10. 2. Sam. 12. 20. 21.*

Huc refero omnes actiones, functiones & leges ceremoniales Judaicas, quarum exercitium & usus ex Dei ordinatione suas significationes & typos habebat; uti erat velamen Mosis. *Exod. c. 34. 34. 2. Corinth. c. 3. 13. 14. & alia Genes. c. 24. 65. 1. Corinth. c. 11. 7. Genes. c. 20. 16. Ruth. c. 3. 9. Esa. c. 4.* Circumcisio, comestio agni paschalis, festum pentecostes, seu tabernaculorum, festū Jubilæi, & id genus plures, de quibus in *Exod. Levit. & Nū. & Deut.*

Qui præterea sint alii habitus & gestus cujusq; nationis, regionis & populi, discendum est ex historiis & experientia.

Sequitur de habitu arbitrario, qui ex voluntate & pro arbitrio utentis eodem instituitur. Hic, si est rationabilis, vel hominum opinione probabilis, qui ex ratione quadam probabili est institutus, gratiam habet; secus vero sapit stultitiam & temeritatem.

Huc refero habitus portentosos, qui rarâ & illustri actione sua singularem aliquam & memorabilem significationem etiam præter naturam suam denotant & exprimunt Dei iussu.

Hujus generis sunt actiones quædam prophe-

phetarum & legatorum Dei: *de quibus videre licet Exod. c. 9.* 8. 9. 10. *& seqq.* De sparsa favilla fornacis versus cælum, unde ulcera eruperunt, &c. *Josuæ c. 8.* 18. *c. 6.* 6. 7. *& seqq.* Deque Eliseo, 2. *Reg. c.* 3. 15. *c.* 4. 34. *& seqq. & c.* 13. 15. 16. 17. 18. & de quo legitur 1. *Reg. c.* 18. 42. *Johan. c. 9.* 6. 7. 1. *Sam. c.* 19. 23. 24. *& passim alibi. Exod. c.* 3. *Act. c.* 7. *Jos. c.* 7.

JOHANNIS ALTHUSII J.C. clarissimi,

CIVILIS CONVERSATIONIS, seu Ethicæ LIBER II. *qui est* De Ethica propria.

CAPUT I.

De dignioribus, honoratioribus & vilibus, popularibus, vulgaribus personis, earumq; affectione mutua in conversatione civili.

ATQUE hactenus illa, quæ ad Ethicam & conversationem cõmunem, hoc est, ad mores cujusq; conditionis & status homines pertinẽt, perstrinximus. Sequitur de Ethica propria.

Propria Ethica est, quæ mores & modum conversandi cum certis hominum generibus, certis quibusdam personis præscribit.

Species hujus Ethicę sunt duę. Una est conversatio statui cujusque proprio conveniens. Altera est conversatio actui conviviali conveniens.

Prior illa, statum & conditionem cujusque respiciens, est rursum duplex; Imparium nimirum, vel parium.

Imparium personarum Ethica est, quæ rationem conversandi cum honoratioribus, dignioribus; aut cũ se inferioribus, vulgaribusve personis docet.

Hujus requisita sunt duo. Primum est, de dignioribus vilibusque personis, atq; earum affectione mutua inter se invicẽ in civili conversatione. Alterum est de officio alterius erga alterum in sermone & habitu.

Digniorem voco, qui illum cum quo conversatur, antecellit, ipsique in existimatione & pretio præfertur. Esse vero inter homines alium alio excellentiorem & prętantiorẽ, satis puto constare *ex Philip. c.* 2. 3. 29. *Act. c.* 5. 34. *c.* 17. 4. 12. *c.* 12. 23. *c. 14.* 11. *c.* 13. *50. c.* 17. 4. 12. 1. *Thessal. c. 5.* 12. 13. 2. *Corinth. c. 10. per tot.* 1. *Chronic. c.* 27. *per tot.* 2. *Sam. c.* 23. *per tot. Matth. c.* 18. 1. *c.* 8. 8. *9. c. 6.* 2. *Marc. c. 9.* 34. *Luc. c. 9. 46. c.* 14. *9. 10. c.* 7. 1. 2. 4. *5. c.* 22. 27. 28. *Ephes. c. 5.* 21. *Act. c.* 5. 34. *Luc. c.* 7. *28. Galat. c.* 2. *6. Roman. c.* 12. *10.* Johan. *c. 5. 44. Psalm. 49.* 3. 21.

13. E-

13. *Esai.c.2.9.11.12.17.c.3.4.5.6.Ecclef.c.40.3.4.c.3.1.2.3.4.* & *seqq.c.* 10. *26.* 27. *Exod. c.* 11.5.2.*Reg.c.24.14.16,17.c.25.* 15. *Nehem.* 8. 1.2.*Chro.c.24.17.23.c.12.5.c,26.11.12.c.28.14.c.29.20.30.c.30.2.15.late differit ex prophanis autoribus Tiraquel. in tractat. de nobilit. c.21.* & *de jur. primogenior. in præfation. Hinc dignitas, honor, auctoritas, gloria, eminentia, excellentia. Rom.c.13.1.2,3.2.Chronic.c.1.12.13.Matth.c.15.4.1 Pet.c.2.17.* & *Num.c.*16.1.*Judic.c.9.*1.1.*Sam.c.10.27.2.Theff.c.1 4. Proverb.c.26.*1.2.*Corinth.c.15.5.Sapient.c* 8.11.1.*Reg.c.2.9.*10.11 1.*Chron.c.*18.8.9.1. *Reg.c.*8.16.17.& *seq. Philip.c.2.9.* & *in magna domo non tantum aurea* & *argentea vasa, sed etiam fictilia* & *lignea.* 2. *Timoth.c.2*, & ordines, 1. *Reg.c.*10.5.

Dignitas igitur hæc, eſt præclara hominum multorum de alio opinio, ſermone vel geſtu teſtata, *Johan.c.5.44.Matth.c.6.2.Act.c.12.23.c.14.*11.*Galat.c.6.3.2.Corinth.c.10.* ſeu præſumptio virtutis egregiæ. *Menoch. libr. 6. præſumpt. 59. Tiraquel. De nobilit.c.37.c.20.* & *Sene.lib.*17.*Epiſt.*103. Ad gloriam & famam non eſt ſatis unius opinio: ſed gloria multorũ, claritas bonorum judiciis conſtat.

Cauſſę efficientes hujus opinionis & dignitatis ſunt majora à Deo accepta dona, virtutes, potentia, magiſtratus & imperium, divitię, ſenectus, officium, aut munus, quod quis gerit nobile, excellensvé, aut merita in Rempub. *arg. Deut.c.*1.13.14. & *ſeqq. Exod.c.*18, *Eccle-*

siastis c. 10. 14. *Ecclesiastici c.* 40. *per tot. & cap. seqq. c.* 3. 2. *& seqq.* 1. *Timoth. c.* 3. 13. *c* 5. 17. 1. *Sam. c.* 18. 29. Justum etiam est ut iis qui nos juvant & Dei donis instructi sunt, aliquid rependamus. Honore autem melius nihil habemus. Deinde, honorem exhibemus, ut ipsi & illorum similes pergant se diutius atque constantius exercere in aliis adjuvandis & conservandis. Ad hæc, ut addita hujusmodi reverentia authoritatem illis conciliemus, quo aptius & cõmodius queant suo fungi munere. *Martyr Jud. c* 9. 5. *Cassiodor. copiose libr.* 1. *Variar. epist.* 3. & 13. asserit honores veluti pręmia quędam & aculeos esse, qui animos ad virtutem impellant, alioquin in laboribus desides & torpentes. *Cicer. de clar. orator.* Honor est præmium virtutis, studio judicioque civium ad aliquem delatum. *Idem alibi*: Siquis ad gloriam adsequendam laborat, talem se efficiat qualis vult haberi. Quod si ostentatione inani & ficto sermone vel vultu stabilem se gloriam adsequi opinatur, vehementer errat. Vera enim gloria radices agit, ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt: neque simulatũ quidquam potest esse diuturnum.

Accidit etiam quandoque, ut ex sola hominum opinione quis habeatur dignior & honoratior, qui tamen hisce omnibus vacat. Nam, ut Seneca *lib. 2 in sapient. non cad. injur.* ait, Honores & injuriæ vulgi in promiscuo habendæ. Ratio vero ob quam hisce virtutibus præditis

honor

honor habeatur, est, quod imago Dei, quæ in hisce elucet, agnoscenda est. Nam in Magistratu quædam potentiæ & gloriæ divinæ imago cernitur. *Psalm.* 82. In divite imago divinæ opulentię; in docto, divinæ sapientiæ; in patre, divinę paternitatis & potestatis patrię. *Matth. c.* 23. 9. In marito, authoritatis divinæ, 1. *Corinth. c.* 11. In sene, quædam æternitatis divinæ imago. In judice, justitiæ & severitatis divinæ, 2. *Chron. c.* 19.

Quamvis autem fieri non potest, ut aliquis Dei imagine careat, ut hujus respectu recte etiam suus cuique honos debeatur, *ut dicitur* 1. *Pet. c.* 2. 17. *Rom. c.* 12. 10. *Philip. c.* 2. 3. 29. *Ephes. c.* 5. 21. nihilominus tamen cum in aliis atque aliis magis atque magis divina hæc imago sit illustris, & pluribus virtutibus donisq; divinis exornata & aucta, fit ut alius alio excellentior, honoratior, eminentior, majorisque existimationis & pretii recte dicatur: imo inter dignitates ipsas recte quoddã discrimen constitutum sit.

Dignitas & excellentia est duplex. Naturalis, vel civilis.

Naturalis est, qua propter naturę dotes eximias, alius alio est & habetur excellentior pro virtutis, qua præditus est, qualitate, vel quantitate. *arg.* 1. *Corinth. c.* 12. 4. 5. 6. *& seqq. c.* 13. *c.* 14. *Rom. c.* 2. 7. *Ephes. c.* 4. *Philip. c.* 2. 29. *Ecclesi. c.* 10. 26. 27. 33. 34. *c.* 11. 1. sic masculus dignior fæminâ. *Ecclesiastic. c.* 42. 15. 1. *Timoth. c.*

2.12. *Levit. c.27.2.3.4. Jerem. c.50. c. 51. Esa.* 1.*c.27. et Deuter. c. 28.56. dixi late lib. 1. Dicaologica mea, c. 4. de homin. ἠγωμένοις.* Sic senex dignior juvene. 1. *Timoth. c. 5.* 1.2.3. 4.17. & *Tit. c. 2.* 1.2. *Levit. c.19.32.* 1. *Pet. c. 5. 5. Similiter juniores subjecti estote senioribus, &c. Proverb. c. 20. 29. in Dicaolog. d. lib. 1. c. 25. dixi latius.* Sic publica persona privatâ præstantior est. *Luc. c. 22. 25. 26. 27. Matth. c. 20. 25. & seqq. Marc. c. 10. 42. & seqq. Eccles. c. 10. v. 23. 26. 27. 1. Timoth. c.* 2.12. Sic virtus & gloria militaris, seu bellica, pręstantior virtute rogatâ, tempore belli, non pacis. 1. *Timoth. c.* 5. 17. *Philip. c. 2. 29. 1. Chron. c. 11. 11. & seqq. c. 12. 7.* 8. 2. *Sam. c. 23. 18. & seqq. Eccles. c. 44. 6. c. 10. 26. 27. c. 7. 29. 30. 31 Ecclesiastic. c* 9. 17. 18. 19. *Sapient. c. 7. Pet. Gregor. de Rep. lib. 4. c. 10. num.* 8. 14. *vid. l. unic. C. de profess. qui in urbe Constantinop.* Dives honoratior paupere. *Eccles. c. 10. 33. 34. c.* 13. 24 *& seqq. Ecclesiastis c.* 9. 17. *& seqq. Jacob. c. 2. 2. 3. 4. & seqq Levit. c. 19. 5. Mich. c. 6. 12. Luc. c. 6. 24. late Tiraquel. De nobilit. c. 3. c. 25.* Sic dominus servo, pater filiofam. maritus, uxore honoratior est. *Malach. c.1.6. Eccles. c. 3. 9. c. 26. 30. & vers. 26. &* 28. *Luc. c. 12. 37. & seqq. c. 17. 7.* 8. *9. 10.* 1. *Pet. c. 3.* 1. 2. Sic literatus imperito honoratior & præstantior, *Ecclesiastic. c. 26. 35. c. 10. 5. 33. c. 38.* 1. 2. 3. *4. 37. 38. 39.* 1. *Thessal. c.* 5. 12. 13. *Mich. c. 3. 1. 2. Eccles. c. 44.* 1. 2. *& seqq.* Sapiens insipiente, etiam divite honoratior & dignior, *Proverb. c.* 28. *6.*
Eccles.

Eccles. c. 4. 29. 30. c. 26. 35. Ecclesiastic. c. 9. 17. & seqq. Sic Theologus honoratior ICto, & hic Medico dignior, *arg. l. 3. ubi Gothofred. C. com. de legat. Auth. habita. C. ne fil. pro patre. Eccles. c. 38. 1. 2. 3. c. 36. Philipp. c. 2. 29. Luc. c. 10. 41. ibi Maria optimam partem elegit. 1. Timot. c. 5. Qui præsunt bene, duplici honore digni. late Tiraquel. De nobilit. c. 31. num. 360. & seqq. Petrus Martyr 2. Samuel. c. 23. per illum tex.* Sic Scribæ, qui erant Judæorum I. Cti, cedebant Pharisæis, qui eorundē erāt Theologi; & in multis hi Theologi & I.Cti conjungebantur. *Deut. c. 17. 2. Chron. c. 19. & passim alibi, uti & Aaron & Moses conjuncti fuerunt.* θεωρητικοὶ vitę contemplativinę operam dantes, quandoq; cedunt agentibus activā & operatricem, qui πρακτικοὶ, *Pet. Gregor. de Repub. lib. 4. c. 10. num. 18. 19. 20. 21. Danæus in Politic. lib. 2. cap. 3. Aristoteles lib. 7. Politic. c. 3.*

Civilis dignitas & excellentia est, quā confert magistratus, vel antecessor honorati. A magistratu superiore collata dignitas, propria dicitur, *arg. l. 3. C. de crimin. sacrileg. l. 5. C. de divers. rescript. Esth. c. 6. 8. Rom. c. 9. 3. 4. & seqq. c. 11. 1. 2. & seqq. Daniel. c. 2. 48. 49. c. 3. 30. c. 5. 29. Genes. c. 41. 41. & seqq. 1. Macchab. c. 10. 15. 16. & seqq. c. 14. 35. 36. 1. Pet. c. 2. 13. 14. vid. Pet. Greg. de Repub. lib. 4. c. 10.*

Ab antecessore, parente nimirum, vel majoribus, accepta dignitas est, quam quis beneficio ejus, in cujus locum succedit & quē quasi

repræsentat, habet, quę est dignitas natalium, seu nobilitas majorum; quam vita mala & ruditas successorum liberorumve obscurat & inquinat. *Eccles. c.*22. 7.

Apud Judæos quoque dignitatem & nobilitatem, τὴν εὐγένειαν, in honore habitam fuisse, probat *Tiraquell. De nobilit. c.*31. *per Num. c. 1. v.* 22. 15. *c.* 25. 15. *Deut. c.* 1. 15. *& seqq. Job. c* 14. *v.* 30. *Psalm.* 149. *Proverb. c.* 22. 29. *Ecclesiastic. c.* 10. 14. *& seqq. Sap. c.* 4. *Es. c.* 3. 4. *c.* 5. 13. *c.* 34. 12. *Jerem.* 39. 6. *Marc. c.* 15. 43. *Luc. c.* 19. 12. 1. *Corinth. c.* 1. 26. *c.* 4. 10. *Act. c.* 17. 11. 12. 2. *Corinth. c.* 11. 18. 22. *Vid.* 1. *Timoth. c.* 1. 4. *Titum, c.* 3. 9. Nam si nobilitas ex eo est æstimanda, quod familia alicujus nō sit ex colluvie & confusione alterius gentis, sed pura & impermixta á principe generis sui. Deinde ex eo, quód suos agros & bona certa habeat, suisque legibus vivat: Deniq; quod sit antiqua & vetusta, multosque præclaros viros ex se genuerit, atque ita εὐτεκνίαν καὶ πολυτεκνίαν demonstrare possit. *Roman. c.* 9. 2. 3. 4. 5. *ubi Pet. Martyr. Aristot. lib.* 1. *Rhet.* Concedendum, nullā unquam gentem Judaicâ, quæ hisce ornamentis abundavit, nobiliorem extitisse. *vid. Deut. c.* 4. 7. 8. *c.* 7. 6. *c.* 26. 19. *c.* 33. 29. 2. *Sam. c.* 7. 23. 1. *Chron. c.* 17. 21. *Psalm.* 147. 20. *Matth. c.* 10. 6. *c.* 15. 24. Cujus semen perpetuum dicitur. *Jere. c.* 31. 37. 38. Inde nimirum ab Abrahamo usque serie & genealogia perpetua, non interrupta. *Johan. c.* 8. 33. 37. *Ezech. c.* 16. 3. 4. 5. 6.

Apud

Apud Romanos qui imagines suorum majorum habuerunt, ii nobiles; qui suas tantum, illi *novi* vocabantur. Unde constat, jus nobilitatis esse iisdem jus imaginis habendę & collocandæ. Nam, ut imago à magistratu, quem gerere necesse est illi, qui imaginem ponere volebat; sic nobilitas ab imagine proficiscitur, quæ in celebriore domus parte, atrio, armario, vel larario ligneo ponebatur. *vid. Sigon. lib. 2. c. 20. De antiq. jur. civ. Rom. & lib. De nomin. Roman. & Senec. lib. 5. epist. 44. & lib. 3. De benefic. c. 28. & lib. 9. epist. 63.* Hodie, apud nos, quis nobilis, & quæ nobilitas vocari debeat, arbitrio iudicis relinquitur. *Menochius lib. 2. cas. 67. & seq. arb. jud. quæst.* qui id pro ratione circumstantiarum, loci, consuetudinis, regionis, temporis, personęque æstimare debet. Sicuti quoque quæ sit gravis, discreta & honesta persona, ejusdē arbitrio relinquitur. *Menoch. d. lib. 2. cas. 69.* & quę dives. *cas. 65.* & quæ egregia persona. *Idem cas. 70. arb. jud. quæst.* Contra vero quæ persona popularis, humilis, plebeja, vilis, abjecta, ignobilis, nullius pretii, aut existimationis, arbitrio recte judicantis relinquitur, qui plerunque id ex genere, professione, conditione, statu, officio, vitave sordida, opificio mechanico, vili, humili, vel ex consuetudine, & more cujusque regionis, vel vulgi opinione, aut hominum prudentum arbitrio, vel vita ante acta, judicat. *Menoch. lib. 2, cas. 71. arb. jud. quæst.* Similiter quæ sit per-

signa miserabilis. *Idem cas. 66. & cas. 532. num. 2. 3. 4.* pauper & inops *cas. 65.* Vilis & plebeia persona apud Judęos vocabatur homo parvus, *Matth. c. 10. 42. c. 18. 5. 10. 1. Corinth. c. 3. 1. 1. Sam. c. 15. 17. c. 9. 21.* & canis. *2. Sam. c. 9. 2. c. 3. 8. 1. Sam. c. 24. 15. 2. Reg. c. 8. 13. c. 25. 15. Matth. c. 15. 26. c. 7. 6. Johan. c. 7. 47. 48. Nehem. c. 8. 1.* & pulex. *Sam. c. 16. 20.* Metaphoricé.

Dignitas autem & excellentia atque auctoritas crescit & decrescit ex superioris, vel consuetudinis cujusque loci, vel hominum opinione, & arbitrio. ut exemplis patet. *Est. c. 3. 2. c. 5. 11. c. 1. 6. 6. 7. 8. 9. 10. Daniel. c. 5. 7. 29. c. 2. 48. Genes. c. 41. 37. 39. 41. & seqq. 1. Macchab. c. 10. 20. 64. 65. 66. 22. c. 14. 38. 39. 40. 43. 44. c. 15. 32. 8. 9. c. 11. 27. 58.* vel ex vitæ statu & honestate. *§. 7. pœna. Inst. de injur. Tiraquel. De nobilit. c. 37. num. 68. & seqq. Menoch. lib. 2. casu 67. arb. jud. quæst.* Nam quo quis melioribus & præstantioribus negotiis occupatur, vel vacat, aut quo propius ad superioris dignitatem accedit, aut præstantioribus est proximior, eo dignior & venerabilior haberi debet. *Est. c. 1. 14. 15. c. 6. 7. 8. Nehem. c. 4. 14. 19. c. 5. 7. 1. Reg. c. 10. 5. 2. Timoth. c. 2. 20. Roman. c. 12. 10. Philip. c. 2. 3. Matth. c. 20. 21. & seqq. 1. Corinth. c. 10. Exod. c. 11. 8. c. 8. 3. 31. c. 7. 13. 23. Genes. c. 41. 39. 40. 41. 42. Est. c. 10. 3. Tiraquel. De nobil. c. 5. c. 6. 7. & seqq. Pet. Gregor. de Repub. lib. 4. c. 3. 4. 10.* Hinc recte quædam dignitas clara, pręclara, inclita, generosa, illustris, prin-

principalis, regia, imperialis; ex quibus quædam superior, quędam intermedia, & quędam inferior vocatur. 1. *Pet. c.* 2. 13. 14. *Genes. c.* 41. 40. *& seqq. Dan. c.* 5. 16. 17. *Est. c.* 8. 2. *& seqq. Matth. c.* 20. 21. 22. 23. 2. *Sam. c.* 23. 8. Apud Romanos varii dignitatum gradus & ordines erant, de quib. *in tit. C. de equest. dign. lib.* 12. *tit. C. de dignit. tit. de Decurion. tit. de prox. sacr. scrin. tit. C. ut ord. dign. servet. & latius dixi lib.* 11. *Dicaolog. & Pet. Greg. de Repub. lib.* 4. *c.* 10. *& lib.* 6. *Syntag. cap* 6. 7. 8. 9. 10. 11. *& Gloss. in* §. 1. *Novel.* 71.

Hujus loci sunt duæ quæstiones sequentes; quarum prior est, *An honor semper virtutem comitetur.* Altera, *inter plures honoratos concurrentes, quis alteri cedere vel præferri debeat.*

Ad priorem quæstionem, recte respondetur, quod virtutem non semper honor & gloria comitetur, aut conjuncta sit eodem gradu & splendore. Interdum enim antecedit honor & opinio, vel existimatio virtutis perfectionem; interdum conjunctus est honor cum virtute. Quandoque ex intervallo subsequitur: interdum obscurior est, atque interdum illustrior. Nam sicuti *Petr. Martyr ait*, comes corporis est umbra, ita & virtutis comes gloria. Umbra corpus comitatur, sed nō eodem modo. Nonnunquam enim præcedit, interdum jungitur à latere & quasi incedit unà: interdum sequitur corpus, pro diversa corporis thesi & radiorum illapsu, ut docent Optici. Simili mo-

do virtus quorundam vix inchoata, seu sub ipsis ejus initiis habetur in honore. Aliorum vero non suspicitur & prædicatur, nisi cum aucta est & perfecta. Denique videas aliquot non ante honoratos, quam vivere desierint. Nescio enim quo pacto comparatum sit, ut ea, quę in manibus nostris posita sunt, oculisque quotidie obversantur, sensim quasi obrepente satietate, fastidiamus, eorumque nos tandem pertædeat: ubi vero elapsa amissaque sunt, incredibile sui desiderium excitent, & animus multo ea ardentius, licet seró, requirat. Sicuti scite Horatius, *Virtutem*, inquit, *incolumẽ odimus, Sublatam ex oculis requirimus invidi. Goclenius Quæst. Ethic. c. 63.*

In altera quæstione, inter plures præstantes honoratior & dignior habetur is, in quem plures caussæ dignitatis concurrunt, modo officii & muneris præstantia non sit tanta, quæ primum locũ & gradum dignitatis obtineat. Pravo hominum judicio, divitiarum pręstantia & dignitas sapientiæ præfertur. *Ecclesiastic. c. 9. 17. Adfuit in civitate vir indigus sapiens, qui liberavit ipse civitatem istam sua sapientia, nec tamen quisquam recordatus est viri indigi illius.* 18. *Dico autem ego, meliorem esse sapientiam robore, quamvis sapientia illius indigi despiciatur & verba ejus non audiantur.* 19. *Verba submissorum sapientum audienda esse potius, quam clamorem dominantis cum stolidis suis.* 20. *Meliorem esse sapientiam armis bellicis, aberrantem vero unum perdere*

dere boni plurimum. 21. Ut muscarum mortuarum una efficit, ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii, similiter pretiosum nomen sapientiæ et gloriæ virum fœtidum efficit stoliditatis parum. 22. Animus sapientis adest dextera ipsius, animus vero stolidi sinistra ipsius, & Ecclesiastic. c. 13, 26. Si humilis lapsus est, increpatur ipse; si enunciaverit verbum intelligentiæ, non tamen tribuitur ipsi locus. 27. Divite loquente, omnes silent, etiam sermonẽ ejus exaltaverunt ad nubes usque. 28. Paupere loquente, dixerunt, Quis iste est? &, si offenderit, amplius subvertere solent ipsum. Sed hæc ex pravo hominum judicio & opinione. Sed in rei veritate sapientia & quævis virtutes longe divitiis meliores & prę̃stãtiores sunt, *Proverb. c. 8. 11. Nam melior est sapientia carbunculis, et omnia oblectamenta non possunt æquari ei.*

Quod si filius publicam cum imperio, vel honore personam gerat, pater vero sit privatus; hic in locis & actionibus publicis filii, pater debet cedere filio; in privatis vero negotiis & conventibus cessabit publica, & prævalebit paterna auctoritas: sicuti demonstrat exemplum Sempronii Gracchi consulis Romani. Hic enim ut dignitatem suã publice tueretur, cum obviam ei factus esset pater Quintus Fab. Maxim. Proconsul, equo insidens; lictoribus ad eum missis, equo ut descenderet, imperavit. Pater, dicto audiens, imperata prompte fecit, filiumque collaudavit, quod dignitatem populi Romani imperio convenientem, tueri

nosset. qua de re *Valer. Maxim. lib. 2. c. 2.* Extat quoque exemplũ in Salomone; qui etiamsi rex esset potentissimus, nihilominus tamen matri honoris & obsequii officia exhibuit. 1. *Reg. c. 2. 19. Itaque cum venisset Bathseba ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia, assurgens Rex obviam ei incurvavit se, honorem habens ei, & sedens in solio suo, apponi jussit solium matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus; sed tamen in publicis negotiis regni, contra cujus utilitatem mater petebat, Salomon illi non cessit, neque obedivit. d. c. 2. 20. 21. & seqq. Aliud extat Exod. c. 18. 7. Tũ processit Mose obviam socero suo, & incurvans se osculatus est eum; rogaruntque alter alterum de prosperitate. ubi Moses qui erat Rex Populi Judaici, socero suo, homini privato honorem obviam procedendo incurvandoque habuit.* Sic fratres majores natu Josephi & parentes honore & observantia fratrem suum & filiũ prosecuti sunt. *Genes. c. 37. & c. 42. & seqq. Refert Gellius lib. 2. c. 2. noct. Attic. ad philosophũ Taurum Athenas visendi cognoscendique gratia venisse patrem, personam privatam, cum filio personam publicam gerente. Taurus, allata una sella, invitavit patrem ut sederet. Atque ille, pater ait,* Sedeat hic potius qui pop. Romani magistratus est. *Absque præjudicio, inquit Taurus, tu interea sede, dum inspicimus quærimusque utrum conveniat te ne potius sedere, qui pater es, an filium qui magistratus est. Et cũ pater adsedisset, appositumque esset aliud filio quoque sedile, verba Taurus*

rus super ea re fecit ita: In publicis locis & muneribus atque actionibus patrum jura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatib. collata, interquiescere paululum & connivere. Sed cum extra Rempub. in domestica re atque vita sedeatur, ambuletur, in convivio discumbatur, tum inter filium magistratũ & patrem privatum publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. *Hæc Gellius. Fieri enim potest ut pater vilis, abjecta & sordida sit persona, cum contra filius sit persona honesta, dignior & honorata. l. sed si unius, 17. §. 13 interdum. de injur. Pet. Martyr Rom. c. 12. & Genes. c. 37. 11.*

Prçterea inter honoratos officiarios plures honoratior & præstantior habetur, qui prior cooptatus in ordinem, honores & munera eadem gerentium. *l. 1. C. de consul. & non sparg. num. l. 1. l. 2. C. de præfect. pretor. l. 1. C. de præposit. sacri cubic. l. 1. de alb. scribend. ubi Gothofred. Tacit. lib. 4. Sueton. in Claudio. c. 16. & in Nerone. c. 20. c. 1. de major. & obedient. c. episcoporum etiam. 74. distinct. c. fin. 75. distinct. Chassan. in libro Catalogi gloriæ mundi, part. 12. consid. 99.*

Habentes dignitatem cum administratione, præferuntur iis, qui habent dignitatẽ sine administratione. *Pet. Greg. lib. 4. c. 6. c. 10. de Repub. l. 2. C. ut ord. dign. servet.* Novitius in ordine ultimum gradum obtinet, non quẽ defunctus vel antecessor habuit. *l. si quis. 10. c. de profess. & medic. l. 7. unicuique. C. de prox. sacr. scrin. lib. 12. tit. 19.*

O

Supernumerarius, hoc eſt, qui ultra ordinarium ſtatutumq; numerum adſumptus & cooptatus eſt, ultimum locum occupat. *dicta l. 7. unicuique l. 1. C. de collegiat. & charto. lib. 11. tit. 18. l. ult. C. de apparit. magiſt. lib. 12. tit. 54. Qua de re pluribus egi in lib.* 1. *Dicaologica, c. 38.*

Qui princeps eſt collegii, primicerius, Græcis πρωτοστάτης vocatur: reliqui primates ex ordine, ſecundocerius, tertiocerius, quartocerius, *& ſic deinceps, tot. tit. C. de primic. & ſecundocer. ubi Cujac.* Apud Judæos erant Archiſynagogi, *Num. c. 4. 34. c. 16. 2. Matth. c. 9. 18. Luc. 8. 41. 47. Marc. c. 5. 22. 23.* & princeps tribuum & familiarum, civitatum, populi. *de quibus latiſſ. lib.* 1. *Dicaol. c. 6. & Sigon. lib. de Repub. Hebr.*

Apud Romanos populus ex præſtantia & dignitate diſtribuebatur in tres ordines: Primus erat ſenatorum; ſecundus & intermedius equeſtris; tertius & infimus, erat plebejorum. *Sigon. de antiq. jur. civ. Roman. & dixi lib.* 1. *Dicaol. c. 6.*

Inter Eccleſiaſticos quoq; gradus dignitatis & honoris conſtituti. Alii .n. ex hisce Apoſtoli fuerunt, alii prophetæ, alii Evangeliſtæ, alii paſtores & doctores. *Epheſ. c. 4.* In Papatu alii clerici, alii pſalmiſtæ, alii oſtiarii, lectores, exorciſtæ, acolyti, ſubdiaconi, diaconi, presbyteri, Epiſcopi, Archiepiſcopi, ſeu metropolitę, patriarchæ & cardinales, & denique ſummus Pontifex. *vid. Pet. Greg. lib. 15. Syntagm. c. 3. & in jure Canonico paſſim.*

Sequi-

Sequitur de affectione mutua digniorũ & viliorum inter se invicem in civili conversatione, ad quam uterq; se, quantum salva conscientia &pietate fieri potest, conformare debet, & se affectib. superioris honorati, adcommodare, adeo ut proprias affectiones non habeat inferior, sed præstantioris in seriis, jocosis, jucundis & tristibus sequatur. Obsequia enim amicos& gratiosos faciunt homines. Juxta illud, *Vita & virtutes hominis, cum quo vivis, noveris, non oderis eundem, cujus errata æquo animo tuleris*, *Roman.c.* 15. 1. *Debemus autem nos, qui firmi sumus, imbecillitates infirmorum portare, ac non indulgere nobis ipsis*, 2. *Itaq; unusquisq; nostrûm proximo placeat in bonum, id est, ad ejus ædificationem. Coloss.c.*3. 13. *Tolerantes alii alios & condonantes vobis mutuo. Ephes.c.*4. 2. 32. *arg.* 1. *Pet.c.* 2. 18. *Genes.c.*9. 22. 2:. *& Cato:*

Vincere cum possis interdum, cede sodali:
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.
Quæ superare potes, interdum vince ferendo:
Maxima enim morum semper patietia virtus.

Viliores, inopes, tenuiores, humiles, seu inferiores, utilitatem spectant, ut nimirum à divitibus & honoratis consequantur commoda & utilia, ut pecuniam, divitias dignitatem & officia; atq; hæc ab iis superioribus, quibus vitæ suæ usuram locant & obsequia præstant, tanquam laborum suorum mercedem exspectãt, & de iis solis sunt soliciti & anxii; tum quoque, ut ob imbecillitatem suam adversus injurias

altiorum promotionem amicos, patronos & defensores sibi comparent.

Digniores contrá & honoratiores, prout variis ex caussis existimationem & opinionem apud alios sibi compararunt, ita & variis affectionibus & cupiditatibus sunt obnoxii, & existimant se πολυωρεῖσθαι, id est, magnifieri debere ab iis, qui sunt inferiores. Ita enim comparatum, ut qua in re quis pręstiterit, ea ipsa quoque se fieri magni debere, censeat. Contrá, graviter irascuntur & ferre nequaquam possunt, quando contemnuntur in ejusmodi rebus, quę propriè ad eos pertinent. Propter excellentiam enim, quam sibi ipsi imaginantur, quasi suo jure postulant honorem sibi deferri, quem si ab inferiorib. non impetrant, ceu debito suo fraudari se indignantur. Existimant etiam conveniens esse, ut ab iis magni fiant & honorētur, à quibus sibi benefieri debere putant. Unde fit, ut illi irascantur τοῖς ὀλιγωροῦσι inprimis, quando nihili nulliusq; existimationis homines, eos parvi faciunt, vel contemnunt. Contrá verò lenes sint τοῖς πολυωροῦσι. *Aristot. lib. 2. Rhetor.* Sunt autem ejusmodi honoratiores & digniores quidam divites, quidam senes experientiâ & prudentiâ pollentes, quidam potentes, quidam genere nobiles, vel virtute aut eruditione excellentes. *Jerem. c. 9. 23. 1. Reg. c. 3. 9. 12. 13. Eccles. c. 44. 1. 2. & seqq. c. 45. 1. 2. & seqq. & cap. seqq. Ecclesiast. c. 9. 13. & seqq. c. 5. 18, cap. 8. 2.*

Divi-

Divites quidem & locupletes bonis affluentes, nullum sequuntur emolumentum, sed id modò attendunt quod eam sibi conjunctioné inferioris, ad splendorem dignitatis honorificam, ad victum autem cultumq;, atq; res gerendas, cúm jucundam, tum verò multis sané locis peropportunam esse intelligant. Est enim locupletum natura & mos, ut superbia, insolentiâ & fastidio efferantur, & luxuriâ pene diffluant, propter delicias quas perpetuò sectantur, & quarum ostentatione beati videri volunt. Perinde enim affecti vivunt, quasi omnibus affluant bonis; & quia pecunia omnia venduntur & comparari possunt, ideo omnium rerum pretium penes se esse opinantur, ob idq; se beatos esse existimant. Ad hoc accedit, quod homines in re facienda & exaggeranda occupatos & divitiis inhiantes videant. Quare possessione hujus tanquam excellenti inter homines bono quodam, quod unú expetunt, quodq; admirantur, omnes ipsi gloriantur, & reliquos despiciunt: quæ insolentia & arrogantia augetur, quod multos multa locupletem rogare sit necesse, ideo dignos se dominatu arbitrantur. Nam divitiæ sua natura gloriosę & insolentes sunt, atq; petulantiam superbię comitem habent, sicuti quoq; copiarum ostentationem, luxuriam & mollitiem. *Ut rectè Galatæus ex Aristotele lib. 2. Rhetor. disserit, & apparet ex Luc. c. 16. 19. & seqq. 1. Timoth. c. 6. 17. 18. Matth. c. 6. 21. Eccles. c. 13. 1.*

2.3.4.21. *& seqq. & c.32.3 4. & seqq. c.10.33. 34.35.25.26.27. c.11.14.22. c.40.1. Sam. c.18.* 18.23. *Jacob. c.*2.2.3. *Deut.c.* 15. *& passim alibi*, ubi affectiones & studia divitũ & potentiorum describuntur. *Vide Aristotelem libr.* 2. *Rhetor. & recte Horatius dicit: —omnis enim res:*

Virtus, fama, decus, divina humanaq; pulcris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & rex,
Et quidquid volet.

Senectus quoq; venerabilis juvenibus esse debet. *Levit. c.*19.32. 1. *Timoth. c.*5.1.2.3.4.17. *Tit. c.*2.1.2. *Proverb. c.*20.29. *Ecclesiast. c.*25.7. 8. *& seqq.* 1. *Pet. c.*5.5. *Job. c.*32.6. *c.*12.12. 1. *Reg. c.*12.6.7.8. *Ezech. c.*7. *Deut. c.*21.2. *late Tiraquell. De jure primogeniorum, in præfat. n.* 80. *& seqq. et latius dixi li.*1. *Dicaol. c.*6. *Ovid.* 5. *Fastor.*

Magna fuit quondam capitis, reverentia seni;
Inq; suo pretio ruga senilis erat.

*Majores natu, inquit Gell. lib.*2. *c.* 15. *à minoribus colebantur ad Deum propè & parentum vicem, atq; in omni loco inq; omni specie honoris priores potioresq; habiti. & seqq. & Cic. lib.* 1. *Offic. Est, dicit, adolescentis, majores natu vereri, & eũ qui ætate nos ante it, tãquam superiorem colere debemus.* Porro senectutis nevi sunt, quod natura sua soleant senes esse suspiciosi, morosi, difficiles, queruli, austeri, avari, tristes, in quas senectutis affectiones ne incurrat Ethicus, prudẽter cavebit. *vid. Aristot. lib.* 2. *Rhetor.*

Naturã & mores senũ Scaliger *in Idea Poetices, ut à Chytræo allegatur*, describit hoc modo.

Senilis,

Senilis, *inquit*, ætas ex parte maxima contraria est moribus adolescentiæ. Ergo quod diu vixerint, parũ sperant, pauca moliuntur, præteritis audent, quæ sola probant præ iis quæ præsentia sunt; quibus nõ adquiescunt. Novarum rerum obtrectatores, semper habent quod obiiciãt. Soliciti officiorum exactores, ad rem attenti, lenti ac difficiles, ad persuasiones cauti, atq; etiã suspiciosi. Multa enim indignè aut se, aut alios perpessos meminêre. Ac quemadmodum adolescentes spe, ita senes memoriâ metiuntur omnia. Rarò affirmant ea, quorum non habeant exemplum in memoria; rarius dejiciuntur de sententia, rarissimè sibi alias anteferri patiuntur ætates. Meticulosi, pertinaci ulterioris vitę exspectatione, queruli. Odia hostiliter exercẽt, atq; etiã convicia. Garruli, tristes, importuni interpellatores: semper etiam quippiã imminẽtis mali minitãtur. Quamobrẽ exercent frequentissimas comparationes, &c.

Contrà natura adolescentum alia est, quam *idem Scaliger ita describit*: Fertur atq; etiã impellitur, *inquit*, ætas prima hæc tum facilè, tum vehementer ad ea quę cõcupiscit. Concupiscit aũt & statim & multa, potita cõtemnit; ad alia animũ appellit; pceps potius animus, quã magna volvẽs. Irã atq; animũ ipsum in fronte atq; ore gerũt. Antevertit impet⁹ deliberationi, facta verbis, pœnitẽtia perfectioni Honoris atq; prælationis exactores importuni potius, quam seduli vindicatores. Cõtemtus ultores; ipsi cõtemtores diuersorũ à suis studiorum. Lauda-

toribus suis favent, oderc monitores. Potentiæ studiosi; opum negligentes. spe enim alunt fiduciam sui. Liberalitatem exercent, ignari fortunæ deterioris. Omnino simplicitatem & à se profitétur, & ab aliis exigunt. Parum suspicaces, creduli multum. Honesta utilibus anteponunt; nondum acuit eos rerum experientia. Sibi ipsis lex sunt. Sodalitatum atque societatum studiosi. sibi ita vivunt, ut credi velint aliis quoque vivere. Denique nihil mediocre. Alienarum miseriarum pii observatores; suarum securi. In jocos soluti; verecūdię obnoxii in erroribus, elati in benefactis. Omnino autem juvenis naturâ inter adolescentiæ & senectutis tépora, ut mediâ est, ita & particeps tum vitiorum, tum virtutum, scilicet affectuū atq; propensionum.

Potentum & honores seu munera gerentium natura, mores & affectio cū locupletum consuetudine & natura congruunt, & partim aliquāto etiam probiores sunt. Nam & honorum studium in hisce est, & animus virilis atq; ad agendum promptus. Præbet enim potentia facultatem, & propter dignitatem gravitas inest. Nulla autem de re magis solliciti sunt potentes, quam ut ne cuipiam succumbere, aut quidquam cuiquam concedere videantur; austeri, tristes, duri, omnia summo jure severè agentes, atq; acerbè, qui si appellentur modò, continuò ad calculos abeunt, confestim sua & aliena metiuntur & rationé subducunt, à qua disce-

discedere nefas arbitrantur. Ideoq; quævis sibi arrogant, & nemini cedere volunt; atq; ob potentiam suam videri & aliis præferri cupiunt: & sua perpetuo jactant & laudem quærunt. quas affectiones superbię videre licet in exemplis Davidis, numerantis populum, *2. Sam. c. 24.* in Roboamo superbé populo suo respondente. *1. Reg. c. 12. 14.* 16. Ozia, sacerdotium ambiente, *2. Chronic. c. 26. 19.* Sennacherib *Esa. c. 36. 37.* in Hamano, *Est. c. 7. 10.* Nebucadnezare, *Daniel. c. 4. 27.* Herode, *Act. c. 12. 23.* & in exemplis superbissimorum hominum, Xerxis, Alexandri, Julii Cæsaris, Pompeii, Caligulæ, & aliorum, *vide Aristotelem lıbr. 2. Rhetoric.*

Nobilium mores & natura fere cum præcedentib. eadem. Sunt enim honoris immodici appetentissimi, & aliorum contemptores, ideoque superbi, inimici popularium, gulosi, luxuriosi, libidinosi. *De quibus nobilium nævis latè Tiraquell. De nobilitat. c. 23. & Aristot. lib. 2. Rhetor.*

Hæc vitia etiam viris doctis virtutibusque præstantissimis cum superioribus sunt cōmunia, *vide Spinaum lib. 2. in Ambit. ubi exemplis illustrat.*

Commune omnium & singulorum honoratorum vitium est, quod laudari cupiant & honorari, & quod superiorem vel parem vix ferre possint, qui in dignitate vel honore ipsis sit superior, vel par. *Spinaus d. lib. 2. in Am-*

bit. id probat exemplo Josephi & fratrum eiusdem, *Genes. c.* 37. Saulis & Davidis, 1. *Sam. c.* 17. Absolomi & Davidis, 2. *Sam. c.* 15. Solomonis & Jerobami, 1. *Reg. c.* 11. *& quamplurimis aliis profanis.* Ad quas affectiones refrenandas & cohibendas videndus *Jerem. c. 9. 23. Sic ait Jehova, Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua, neq; gloriator dives in divitiis suis, &c. 2. Corinth. c. 10. 17. & latè Spinaeus d. loco*

Hæ igitur affectiones, consuetudo & natura, studia & voluntates, & vitia honoratorum, superiorum vel digniorum, nota debent esse vilioribus, humilibus & inferioribus ut ad ea se dirigere, & cum illis conversari utiliter possint. Ut ergò jucunda & grata sit talis conversatio, necesse est ut inferiores & humiles ejusmodi ad superiorum arbitrium, sensumq; vivant, quò facta, dicta, motus & gestus referant, cum humilitate & reverentia; ut sciant, quibus verbis gestibusque exhilarentur, quibusve offendantur. Planè hæc fera, *inquit Galateus*, beneficentia & suavitate capitur & iisdem retinetur; violentiâ vero & asperitate fugatur. Sic igitur animati erga potentes, pecuniosos, nobiles, senes, doctos; tenues, humiles & plebei esse debent, ut illorum incommoda, injurias, ineptias, non modo facilè perferant, sed amanter quoque tegant, eosq;, quoad fieri potest, diligant, colant & omnibus in locis observet; de suo jure animo hilari & æquo discedant

cedãt & obsequio promto eos semper demulceãt, ita ut quęcunq; nos retrahũt ab obsequio & cultu potentioris, locupletioris, nobilioris, honoratioris, illa fugiamus & omittamus. Nã huic obsequio & observantiæ nihil tam est adversum, quam arrogãtia, quæ sibi vindicat quę in alio agnoscere, eiq; adscribere debebat. Atque ideo à nobis diligi volũt superiores & honoratiores, quod existiment, à quibus amantur, iisdem etiam se probari. Difficile enim est, ut quem non probas, eundem diligas. Si quidem colimus & observamus, quos insigni aliqua re antecellere putamus, & quibus placere volumus.

Non omittendæ quoq; ab humilioribus & inferioribus sunt actiones illæ, quarum omissio eosdem de vitiis, inprimis de oligoria suspectos reddere possit. Sic enim, qui antea aliquem honorare est solitus, ejusq; curam habere, & id ipsum postea facere intermittit, de oligoria & contemptu suo indiciũ præbet alii.

Gratiam quoque non referens, iram aliorum in se concitat & benefactoris contemptum præ se fert.

Præterea qui aliis omnibus benefacit, & unum solum præterit, ejusdem iræ & contemtus suspicionem præbet: quasi scilicet non dignus sit beneficio unus ille, quo omnes alios dignatur? Sic & oblivio alicujus est ὀλιγωρίας indicium, & incommodatio & comparatio cum inferioribus se.

CAPUT II.

De cultu, reverentia & obsequio communi, quod honoratioribus & dignioribus sermone præstatur.

TAntum de primo requisito conversationis & Ethicæ propriæ inter digniores & inferiores, seu tenuiores. Sequitur nunc de altero ejusdem requisito; officio nimirum eorundē inter se invicē in civili conversatione; quod consistit in usu sermonis & habitus, seu gestus hisce personis convenientium, quibus scilicet agnoscant dona quibus honorandi & excellentes homines sunt præditi, eosque ob ea amore prosequantur. *1. Thess. c. 5. 12. Rogamus vos fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos, & vobis præsunt in Domino, & admonent vos. 13. & quā maxime charos ducatis propter opus ipsorum.* Job. c. 29. 9. 10. 11. c. 30. 1. 2. & seqq. *Eccles. c. 3. 9. Opere & sermone honora patrem tuum. adde 2. Sam. c. 25. 24. & seqq. 2. Reg. c. 13. 14. c. 2. 12. c. 6. 21. 1. Timoth. c. 5. 4.* Johan. *c. 19. 26. 27. c. 6. 5.* 8. 1. *Corinth. c. 4. 15. Eccles. c. 4. 7. Coram magnate demitte caput tuum.* Justitia enim vult, ut suum cuique tribuatur, etiam honos cui honor debetur, *Rom. c. 13. 7. Malach. c. 1. 6. Filius honorat patrem & servus dominum suum. Quod si Pater vester sum, ubi est honor meus? & si Dominus sum, ubi reverentia mei?* 1. *Pet. c. 2. 17. 1. Timoth. c. 6. Roman. c. 12. 10. Philip. c. 2. 3. 1. Petr. cap. 5. 5. Coloss. cap. 2. 23. 1. Samuel. c. 2. 30.* Jo-

30. Johann. cap. 8. 49. 1. Timoth. cap. 5. 3. 17.

Officium popularium, tenuiorum & inferiorum erga honoratiores & superiores, consistit in moribus reverentialibus & obsequialibus; hoc est, in usu sermonis & gestus talium, qui superiori reverentiam, observantiam, honorem & obsequium tribuunt, quibusq; virtutes & dona superioris, quibus excellit, aut sane ornatus esse debebat, agnoscat, colat, exosculetur & admiretur, cum humilitate etiam suam agnoscens penuriam & indigentiã. Hisce igitur virtutibus & donis honoratioris, congruẽter loqui & agere & mores suos in sermone & actionibus suis conformare & adcõmodare necesse habet; atq; omnia contraria hisce, inprimis contemptum, arrogantiam, vanitatem & futilitatem, atque scurrilitatem fugere debet. 1. *Pet. c. 3. 1. 2. Ubi spectarint cum reverentia conjunctam castam cõversationẽ vestram,* 1. *Timoth. c. 2. 9. 10. 11. 12. Cicero alibi de hoc ita:* Veneratio est virtus qua reverentiam exhibemus majoribus in corporis humiliatione, gestu, nutu & verborum emissione. *& idem alibi:* Observantia est per quam homines aliqua dignitate antecedentes, cultu quodam & honore veneramur.

Sunt autẽ generaliter hîc duæ regulæ inferioribus & humiliorib. in usu sermonis & habitus reverentialium erga superiores semper observandæ.

Prima est, ut debitus honor habita ratione

dignitatis cujusque, cuique digniori exhibeatur, ne quid in hoc peccetur in defectu, vel excessu.

In excessu peccatur, quando in moribus hisce reverentialibus præstandis, sunt exquisiti, superflui, nimii & prodigi. Hinc suæ vanitatis, levitatis, adulationis & nugarum specimen edunt, & suspicionem de se præbent superioribus & aliis. Honoratioribus etiam isti palpatores suspicionem prębent de se; quem scilicet adeo stupidum, hebetem & simplicem esse existimant, ut hisce blanditiis inescari & capi posse opinentur. Et quid aliud est immodicus ejusmodi honor & observantia, quam irrisio & contemptus & injustitia? Sic Judæi Christo illudentes, summos honores, mores & habitus summissos præstiterunt. *Matth. c. 27. 28. 29. 30. 31. 32.* Injusti quoque tales prodigi & palpatores apparent, quod non suum cuique honorem, sed honorando alienum & non congruentem dignitatique ejusdem non respondentem, vel majorem, altiori & excellentiori debitum, præstent.

In defectu vero peccatur, quando in hisce moribus reverentialibus exhibendis, inferior est nimis parcus & tenax, neq; pro ratione honorandi cultum & observantiam & obsequia sua temperat & cõmensurat. Unde arrogantia ejus elucet, invidia & injustitia, quibus sibi multum tribuit, & alteri suum detrahit: Hinc & contemptus sive despicientia & ὀλιγωρία oritur;

tur. In defectu etiam peccatur, quando inter plures præsentes præstantiores inæquales, omnium præstantissimo, primo loco, mores reverentiales iique majores, non exhibentur, & is aliis præsentibus, prout requirit ejusdem dignitas & existimatio, non præfert.

Qui medium inter hosce tenent, vocantur *elegantes & urbani*. ut tamen in honore pręstando vitetur nimia segnities & nimia festinatio. ut somniculose, pigre, lente, oscitanter, & cum animi alacritate: hęc, qua concitatè, æstuanter, turbulenter omnia fiunt.

Altera regula est, ut tempestive tribuatur honor debitus, ratioque habeatur conditionis, cum illius apud quem utimur obsequio, tum etiam nostræ conditionis.

Apud homines qui occupationibus distinentur, plane mores hosce reverentiales abrumpere, aut certe quantum fieri potest, inminuere & significatione potius eas indicare, quam reipsa exprimere convenit, ne aliis rebus peragendis sint impedimento.

Opifices quoque & infimæ sortis homines operam non dabunt, ut erga superiores suos multis moribus reverentialibus utantur. Hi enim illis adversantur & conditionē præstantis non decent. Nam ab hoc hominum genere potius obedientiam, quam honorum ceremonias honoratiores hi atque superiores requirunt & exspectant.

Mores reverentiales rursum sunt commu-

nes & convenientes omnibus honoratioribus & dignioribus; vel quibusdam ex iis proprii & singulares.

Communes, & quibusvis honoratioribus convenientes dicuntur, qui indistinctè omnibus honoratioribus honoris & reverentiæ ergò præstatur. *arg. 1. Sam. c. 24. 7. c. 26. 9. 10. 11. 2. Sam. c. 1. 11. & seqq. c. 4. 9. 1. Timoth. c. 6. Deut. c. 34. 8. 1. Timoth. 2. 2. Eccles. c. 3. & seqq. 1. Sam. c. 28. 3. Eccles. c. 38. 17. 18. 2. c. 45. Pet. c. 2. 17. Malach. c. 1. 6. Rom. c. 1. Chron. c. 29. 11. 12. 28. 2. Chron. cap.* 1 12. 1. Hìc fugienda quæcunq; præbent indiciū contemptus, incommodationis, contumeliæ & impediendi conatus honoratioris.

Communes eisdem mores reverentiales, exhibentur sermone, vel gestu habituve.

In sermone, quando conversatur cum superiore & honoratiore, humilis seu inferior, adhibebit non modo verecundiam, modestiā & comitatem, sed etiam suavitatem, cum significatione reverentiæ & amoris, pudoris & verecundiæ, ita ut oratio & sermo omnis ad voluntatem & nutum illius attemperetur verbis placidis & benignis, sed ita tamen, ut in hisce evitetur omnis suspicio assentationis & tristitiæ; deinde nimia taciturnitas & loquacitas. Omnis assentatio vitanda ideo, quod de pessimis animi affectionibus in superiorē, honorantem suspectum reddit, *ut dixi sup. cap. 2. De adulatione.* Nimia tristitia & taciturnitas supe-

superiores honoratiores minime amabiles inferioribus reddit, & plerunq; invisos & suspectos, qui nimirum non satisfieri à se inferioribus inde suspicantur *Ecclesiastic.c.8.2. Ne perturbaté à facie ejus abito, &c.* 1. *Timoth. cap.2.9. cum verecundia & modestia se ornare, &c.* Loquacitas ideo fugienda, quod reverētiæ omnino contraria, *ut dixi cap.4. in fine ferè. Ecclesiast. cap.32.12. Inter magnates æqualem ne præbeas te, & ubi senes sunt, ne multa effutias, & c.7. 13. Ne verbosus sis in multitudine seniorum, sed eosdem potius audias, Eccles. c.6 34.35. c.8. 9. 10.11.12.* 1. *Timoth. d.c.2.11. Mulier cum silentio discito, cum omni submissione, 12. Mulieri enim docere non permitto, neq; auctoritatem usurpare in virum: sed mando ut sit in silentio.* Neq; si adsunt seniores, vel quos revereri æquum est, ridendum est; nisi forte ipsi quoq;, ut nos exhilarent, urbané aliquid & lepidé dixerint. *Clemens Alexandr. libr. 2. Pædag. c.5.*

Sermonem tenuiores & inferiores priores non inducant, nisi forte à superioribus jussi aliquid proponant. Ergo loquēdi & decernendi facultatem priorem relinquere debent digniori & honoratiori, *l.2. quisquis, C. de præfect. prætor. lib.12. tit.4. l.1. l.2. C. de præpos. sac. cub. l.1. de alb. scribend. Traquell. de jure primogen. in præfation. num.112. & seqq. & num. 123. & seqq.* Job. *c.32.6. Minimus sum ætate, vos autem decrepiti; idcirco veritus sum ac timui ostendere sententiam meam vobis, 7. Dicebam, pro-*

vectiatate loquentur, & annosi notam facient sapientiam, & vers 16.17 & c.29.21. Mihi auscultantes exspectabant & conticescebant ad consilium meum, 22. Post verbum meum non iterabant, ita super eos stillabat sermo meus. 23. Exspectabant enim tanquam pluviam me, & os suum distendebant, & seqq. Ecclesiast. c.32. 9. Loquere adolescens, vix si opus erit tibi, si bis interrogatus fueris, 10. Summatim sermonem contrahe, paucis multa, 11. Esto tanquam is qui novit & silet tamen, 12. Inter magnates aequalem te ne prabeas, & ubi senes sunt, ne multa effutias, & c. 7. 13. c. 6.34. 35. &c. 8. 9.10.11.12. 1. Timoth. c. 2. n. 12. Pertinet enim ad superiores & digniores, qua potissimum de re velint audire; quod sibi arrogare, & praeeminentiam atq; excellentiam quãdam sibi adfectare praesumitur, qui praefestinat loqui & sermonis exordium facit in praesentia praestantioris. Sic & sanctos homines coram excellentioribus loquendi facultatem petiisse legimus, & non nisi jussos sermonem instituisse. *2. Sam. c. 14.15. Tum dixit mulier illa, Eloquatur, quaeso, ancilla tua apud Dominum meum Regem aliquid, quo dicente eloquere, dixit mulier. Et 1. Sam. c. 25. 24. Quumq; procidisset ad pedes ejus, dixit, In me, me inquam, Domine mi, sit hac iniquitas; sed loquatur, quaeso, ancilla tua, ad aures tuas & audi verba ancilla tua, & 1. Sam. c. 15. 16. Tum dixit Samuel Schauli, Desine ut renuntiem tibi, quod elocutus est mihi* Jehova, *Genes. c. 44. 18. Sed accedens ad eum* Juda, *dixit. Attende ad*

me

me domine mi, loquatur quaeso servus tuus verbū audiente domino meo; nec accendatur ira tua in servum tuū; nam tu perinde es ac Pharao. 1. *Sam.* c 16. 19. *Nunc ergo audiat quaeso dominus meus Rex verba servi sui. Et David ad Saulem dixit, &c.* 1. *Reg. c.* 1. 15. 16. *& seqq. Actor. c.* 26. 1. *Agrippa vero Paulo dixit, Permittitur tibi pro te ipso dicere. Tunc Paulus extenta manu, hac defensione usus est, &c.* 24. 10. *Respondit autem Paulus cum innuisset ei praeses ut loqueretur, &c. Genes. c.* 18. 27. *Abraham vero subjecit, dicens: Ecce nunc cuperem alloqui Dominū, tametsi ego sim pulvis & cinis,* 30. *Quaeso ne accendatur ira tua Domine, si loquar, &c.* 31. *Ecce nunc cuperem alloqui Dominum, &c.* 32 *Ne quaeso accendatur ira Domini, si loquar tantum hac vice, &c. & c.* 44. 15. *Job. c.* 29. 8. 9. *Exempla hujus extāt plura Act. c.* 5. 34. *Matt. c.* 21. 23. 24. 27. 2. *Sam. c.* 20. 17. 18. *Plutarch. De liber. educ. Dum alius, inquit, loquitur, obticescere convenit, locum cedere & orationem & prima sedilia concedere, & primas dicendi partes dare.*

Pronuntiatio inferioris, tenuioris, coram superiore, digniore, reverentialis convenit esse summissa & propè abjecta, ex caussis quas retuli *sup. c.* 5. Insuper & blanda, suavis & benigna, pro natura negotii, de quo agitur, ut non omnia semper ad voluntatem loquamur, neq; petulanter, vel imperiosé, vel austeré, vel iracundé. Itaque pronuntiatio ejusmodi cum verecundia & prudentia fieri debet. Petulantia

enim securitatem præse fert; iracundia & austeritas imperandi affectationem indicat. De qua prudentia audi loquentem Apostolum, 1. *Timoth. c.5.1. Seniorem ne increpato, sed hortare, ut patrem, juniores ut fratres, 2. Mulieres natu grandiores, ut sorores, cum omni castitate. 3. Viduas honora, quæ veré viduæ sunt. Latius vide Ecclesiastis c. 10. 1. 2. & seqq. ubi* Jun. *Proverb. c.15.15. & exemplum* 1. *Samuel. c.*1. 14. 15. *& c.* 25. *16. & seqq.*

Memoria & mentio de superiore honorifica fit, *Ecclesiast. c. 38.* 17. 18. 22. *c. 44. per tot. & c. 45. & seqq. 2. Sam. c. 23. 8. & seqq. Ecclesiastis c. 10.* 17. *Ne quidem in conscientia tua regi maledicito & in conclavibus cubilis tui ne maledicito diviti; nam vel avis calorum perferret vocem istam, & ales indicaret verbum, etiam de inimico & malo, arg. Rom. c.* 12. 20. *& vers.* 14 *Benedicite iis qui vos insectātur, benedicite, inquam, & ne imprecamini.*

Quæ probanda in superiore sunt, pleniore ore laudanda, & contra nævi tegendi & dissimulandi, *Genes. cap. 9. 23. Tum accepit Schem cum Jepheto pallium ejus, quod imposuerunt suo amborum humero; & accedentes retrorsum texerunt eo nuditatem patris sui, facie sua, inquam, retrorsum, adeo ut nuditatem patris sui non respexerint. Nam qui tegit defectionem, quærit dilectionem, Proverb. c.*17. 9.10. *& omnes defectiones charitas tegit, Proverb. c. 10.* 12. *hoc est, ut Junius ibidem explicat, non promulgat, sed aut dissimu-*

ſimulat, quidquid bonâ fide & conſcientia poteſt, aut ex συμπαθείᾳ corrigit, Lev. c. 19. 7. adde Matt. c. 1. 19. Joſephus eius cum eſſet juſtus, et nollet eam ignominiæ exponere, voluit eam clam dimittere, vide 1. Cor. c. 13. 4. 5. 6. 7. 8. 1. Pet. c. 4. 8. Ante omnia vero charitatem alii in alios intenſam habentes. Charitas operiet multitudinē peccatorum. Rom. c. 15. 1. 2. 3. Coloſſ. c. 3. 13. Epheſ. c. 4. 2. 32. Exemplum notabile extat in Davide, 1. Sam. c. 24. 9. 10. 11. c. 26. 9. 10 2. Sam. c. 4. 9. 10. 11. c. 1. 11. & ſeqq. Actor. c. 24. 10. 3. c. 26. 2. 3. 4. 7. 25.

Ergo in commendatione & prædicatione virtutis excellentioris, quandoq; occupari inferiorem convenit. nam umbra virtutis, *ut Seneca ait*, eſt gloria. *Prov. c. 12. 7. Pro ratione intellectus ſui laudabitur vir, &c. Act. c. 23. 12. Ananias quidam vir pius ſecundum legem, teſtimonio ornatus omnium illic habitantiũ Judæorum, c. 9. 22. Cornelius centurio vir juſtus & timens Deum, et ornatus teſtimonio totius gentis Judæorum, c. 16. 2. Huic dabant teſtimonium fratres, qui Lyſtris erant & Iconii, Rom. c. 1. 8. 2. Chronic. c. 25. 2. c. 27. 2. Marc. c. 14. 9.* U*bicunq; prædicatum fuerit Evangelium hoc in toto mundo, etiam id quod iſta fecerit, dicetur in memoriam ipſius, 2. Cor. c. 8. 22. Miſimus autem cum eis fratrem noſtrum, quem ſæpe in multis probavimus ſtudioſum, nunc autem multo ſtudioſiorem ob multam meam fiduciam in vobis, 1. Timoth. c. 3. 7. Oportet autem habere etiã bonum teſtimonium ab extraneis. Rom. c. 16. 1. 2. & ſeqq. Job. c. 29. 9. & ſeqq. 2. Cor. c. 8.*

P 3

22. 23. *Ephes. c. 6. 21. Philemon. c. 1. 5. 6. 7. 1. Timoth. c. 5. 17. 1. Sam. c. 1. 19. 20. & seqq c. 3. 33. & seqq. Judic. c. 5. 9. & seqq. Ruth. c. 2. 10. & seqq. Psalm.* 8. *& 21. & 68. & 65.* Ratio est, quod commendatione virtutis apud alios, ejusdem desiderium & studium excitatur, & apud laudatum virtus crescat & foveatur, & veritati testimonium detur, donaque Dei in ministris ipsius agnoscantur, atque honor tribuatur, cui honor debetur. Talis tamen commendatio in absentia laudati fieri debet, *ut dixi supra, c. 3. in Commendatione.*

Hisce addo, quod talium honoratarum & excellentium personarum memoria, etiā post mortem eorundem vivat & maneat sancta & venerabilis. *Ecclesiast. c. 44. 13. In seculum manet eorum semen, neq; deletur eorum gloria, 14. Sunt quidem corpora eorum sepulta in pace, sed nomen eorum vivit in generationem quamq;,* 15. *Sapientiam eorum narrant populi & laudem eorum enunciat Ecclesia, & vers. seqq. ubi exemplorum inductione & cap. seqq. probat & c. 41,* 16. *Vita bona numeratur quidem dies, sed bonum nomen in seculum permanet, Prover. c. 10. 7. Memoria justi benedicta, grata et suavis, contra verò impii nomen exosum, Prov. d. c. 10. 7.* Hinc ignominiæ & infamiæ loco habetur, defuncti memoriæ condemnatio & abolitio, *Eccles. c. 23. 32. 33. c. 8. 9. c. 41. 14. Deut. c. 32. 26. Exod. c. 17. 14. Jos. c. 6. 29. c. 7. 25. & Prov. c. 10. 6. Benedictiones sunt super caput justi: os impiorum operiet violen-*

violentia, 7. *Memoria justi erit in benedictione*, & 8. & *Psalm*.112. *In memoria aeterna erit justus*, & *Psalm*. 34. & Job. c. 13. *Esaia c*. 26. & *Psalm*. 109. 13. 14. 15. *l*. 5. *ubi Dd. C. ad l*. Julia. *Majestatis*.

Prætereа in colloquio digniores & excellentiores cohonestandi sunt titulis & cognomentis honorem venerationemque præ se ferentibus, ex quibus submissio loquentis appareat. Itaque decorum est ut cognomentum & compellationē domini honoratiori inferior, & sibi servi attribuat, uti ex pluribus constat exemplis sanctorum hominum. *Genes. c*. 23. 6. *Audi nos domine mi, princeps Dei, &c.* & *vers*. 11. 15. 17. *c*. 24. 18. & *illa, Bibe, inquit domine mi*, 27. 1. *Pet. c*. 3. 6. *sicut Sara obedivit Abrahamo, dominum eum vocans*, 2. *Reg. c*. 6. 21. *Percutiamne pater mi. c*. 5. 13. *c*. 12. 2. *Marc. c*. 10. 17. 18. 2. *Joh. c*. 1. 1. 1. *Sam. c*. 1. 14. 15. *Genes. c*. 42. 10. 11. *c*. 43. 20. 28. *c*. 44. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 32. *c*. 45. 8. 9. *c*. 27. *c*. 24. 42. 14. 18. 27. 35. 36. & *seqq. c*. 19. 18. *c*. 23. 6. 11. 15. *c*. 16. 14. 4. 8. *c*. 33. 13. *c*. 47. 3. 4. 1. *Sam. c*. 25. 24. & *seqq. Actor. c*. 25. 26. 1. *Sam. c*. 16. 16. *Luc. c*. 22. 25. 1. *Reg. c*. 18. 7. *Johan. c*. 12. 21. *c*. 20. 15. 2. *Sam. c*. 25. 8. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 1. *Reg. c*. 1. 2. 17. & *seqq. per tot*. 2. *Sam. c*. 14. 6. 7. 8. 10. 13. 16. *c*. 19. 28. *c*. 13. 32. *c*. 24. 21. 22. *Profana exempla refert Alex. ab Alex. Genial. dier. lib*. 2. *c*. 19. Atque hîc nomen officii & muneris quod honoratus gerit exprimere, civile & decorum est. 1. *Reg. c*. 1. 17.

18.24.25.26.27.31. *Matth. c. 23.7. & in foris salutationes, & vocari ab hominibus Rabbi.* 8. 9. 1. *Sam. c.* 10. 24. 25. *Genes. c.* 41. 9. 10. 11. 16. 25. 32. 33. 34. *& seqq. Est. c.* 5. *c.* 6. 2. *Sam. c.* 15. 5. 6. *c.* 24. 20. 21. *Marc. c.* 12. 14. 15. 19. 32. *c.* 11. 21. *Luc. c.* 22. 25. *Ipse vero dixit, Reges gentium dominantur eis, & qui habent in eas potestatem, benefici vocantur. ubi Beza notat. Marc. c.* 10. 17. *Praeceptor bone, quid faciam, ut vitam aeternam possideam?* 18. 20. *Act. c.* 26. 25. *Tum ille, Non insanio praestantissime Feste, &c. & vers.* 26. *Scit enim Rex apud quem libere loquor, & seqq. Exemplum elegans extat* 2. *Sam. c.* 19. 28. *c.* 24. 21. 22. *c.* 14. 21. 22. *Judic. c.* 6. 12. *Cumque appareret ei angelus Jehova, dixit ei, Jehova est tecum, valentissime robore.* Quam ob caussam leguntur veteres habuisse suos nomenclatores, qui salutantibus nomina eorum, qui salutandi erant, suggerebant. &, si nomen alicujus incognitũ erat, eum honoris caussam *dominum* vocabant. *Alexand. ab Alexand. lib.* 2. *Genial. dier. c.* 19. *Senec. libr.* 1. *De benefic. c.* 3. *Ex senatus decreto Imperatori Trajano hic honos habitus fuit, ut* optimus *nuncuparetur, ut referunt historici. Elogium Flavio Claudio Imperatori à Senatu hoc tributum, ut Augustus, frater, amicus, bonus senator, & verè bonus princeps diceretur. Senes in tanto honore fuerunt apud Romanos, ut parentes à junioribus fuerint appellati honoris ergò.*

In relatione quoque & pronunciatione honoris & reverentiæ ergò nomen honoratioris

& dignioris aliorum minus honoratorum nominibus præponere solemus *Genes. c. 48. 20. 1. Sam. c. 16. 19. quod tamen Judæi non semper observarunt.*

Ex ejusmodi honore & reverentia est etiam quod pro incolumitate & prosperitate superiorum honoratorum, preces ad Deum inferiores fundere jubentur. *Ephes. c. 6. 19. 20. 1. Timoth. c. 2. 2. Pro regibus & quibusvis in eminentia constitutis, fiant deprecationes, preces, postulationes & gratiarum actiones, &c. Jerem. c. 29. 7. Baruch. c. 1. 11. & seqq. 1. Reg. c. 1. 47. 48. c. 13. 7. Daniel. c. 6. 6. 21. 2. Reg. c. 11. 12.*

Huc pertinent quoque salutationes & consolationes quę honoris caussâ fiunt, quib. nostram charitatem, benevolentiam & observantiam erga alios testificamur. *1. Sam. c. 25. 5. Misit David decem pueros, edixitque David pueris illis, Adscendite Carmelum, & ingressi ad Nabalem, interrogabitis eum nomine meo de prosperitate. 6. Ac ita dicetis ei, si incolumis es & tu pace, & domus tua pace, & quidquid est tibi, pace fruitur, & 2. Samuel. cap. 10. 2. Dixit David, exerceam benignitatem erga Chanunem filium Nachaschi, quemadmodum exercuit pater ejus erga me benignitatẽ, & misit David consolatum eum per servos suos de patre ejus, veneruntque servi Davidis in regionem Hammonitarum. 3. Dicentibus autem Principibus Hammonitarũ Chanuni domino suo: Davidne honore afficere patrem tuum in oculis tuis videtur, quia misit tibi consolatores? &c.*

Salutatio autem hæc verbalis, Græcis dicta προσηγόρευσις & προσφώνησις, consistit in nominibus atque titulis honorificis, vel etiam quandoque in certis formulis & phrasibus. Nomina illa quib. utimur in salutationibus, vel sunt propria, vel appellativa; eaque naturæ vel sanguinis; ut nomen matris, patris, filii, &c. vel sortis atque conditionis, seu cujuscunq; conjunctionis; ut sunt nomina domini, servi, præceptoris, discipuli, clientis, patroni, tutoris, pupilli, collegæ. Apud veteres honorificum & præstantissimum fuit, suis nominibus quemq; venerari & salutare, vel salutantibus reddere salutem. *Alex. ab Alex. Genial. dier. c. 19. lib. 2.* Officii nomine, aut muneris quod quisq; gerit, salutare, judicatur esse religiosius & civilius. De formulis salutandi *vid. Joh. Guil. Stuckium lib. 2. convivial antiquit. c. 31. & sup. dixi.*

Quod si qua in re repugnandum forte fuerit honoratiori & excellentiori, videndum ut illud à tenuioribus fiat timidé pedetentim, & raro: neque nisi necessario. non est enim obsequentis adversari. 2. *Sam. c. 24. 3. Et quamvis diceret Joab regi, at Jehova Deus tuus adiiciat ad populum quotquot sunt, centuplum, idque oculis domini mei regis videntibus: dominus autem meus rex quare delectaretur re illa? tamen confirmatum est verbum regis. Quod expressius habetur* 1. *Chron. c.* 21. 1. 2. 3. 4. *& quamvis diceret Joab, Adiiciat Jehova populo suo, quotquot sunt, centuplum: an non omnes, domine mi Rex, sunt domine*

mino meo servitur quareret istud dominus meus? cur esset ad dandum reatum Israeli? 2. Sam. c. 12. 18. Fuit aūt die septimo ut moreretur infans. Quapropter timuerunt servi Davidis nunciare ei mortuum esse infantem. Dicebant enim, Ecce cum esset infans vivus alloquebamur eum, sed non auscultabat voci nostræ; quomodo ergo dicentib. nobis ei, Mortuus est infans, id afficiet eum malo? 19. Sed videns David servos suos inter se mussitantes, intellexit mortuum esse infantem. 2. Sam. c. 14. ubi fœmina astuta Tecoita colloquium cum rege Davide repugnante & contradicente eidem, describitur, quo prudenter illa usa est ad regis animum flectendum. Sic & Abigail in deprecanda culpa à marito commissa, timide & reverenter locuta legitur cum Davide: uti hoc colloquiū describitur 1. Sā. c. 25. 23. 24. & seqq. & sic sapiens mulier quadam se Joabo opponebat 2. Sā. c. 20. 16. 17. 18. 19. sic David Sauli se opponebat, & eundem cū omni lenitate admonebat. 1. Sam. c. 14. 9. 10. 11. & seqq. c. 16. 18. 19. & seqq. sic servi suum dominum. 2. Reg. c. 5. 13. Accedentes vero servi eius allocuti sunt eum ac dixerunt; Pater mi, si rem magnam iste propheta edixisset tibi, an non facturus fuisses? Ita Apostolus cum senioribus conversari jubet. 1. Timoth. c. 5. Ita eleganter & graviter Ecclesiastes c. 10. 1. Cum spiritus ejus qui dominatur, se efferet contra te, locum tuum ne deserito. nam vir sanans sedat peccata magna. ubi Junius id summatim contrahit ad modestiam & animi summissionem apud honoratos colendam. & vers. seqq. &

c. 8. 2. Ne perturbate a facie ejus abito, ne persistito in re mala. nam quidquid volet, facturus est. & vers. seqq. Atque huc pertinent generalia illa quæ in reprehensione & increpatione monui sup. c. 4. & Colos. c. 4. 6. Galat. 6. 1. 2 in quibus Joab peccavit 2. Sam. c. 19. 6. 7. & seqq. & Roboam, 1. Reg c. 12.

In congressionibus & conviviis, non sermo hisce abrumpendus, non obloquendum, neque interturbandi illi, multo minus pertinaciter hisce resistendum, neque iidem redarguendi & acerbe atq; acriter reprehendendi, vel cum iis contendendum. quæ omnia indubitata signa sunt denegati obsequii & reverentiæ, & stomachum concitant, *vide Genes. cap. 18. 2. Sam. c. 14. 12. 13. 14. & seqq.* Contrà potius cum patientia, humili & alacri animo, omnia suscipienda, nihil sinistre accipiendum; & crudelitas, obstinatio, intractabilitas, morositas, inhumanitas & ferocia superioris, humilitate, patientiâ & benignitate vincenda; & vociferatio atque exclamatio silentio & lenitate excipienda. Quapropter si contentio quædam inter honoratum digniorem & tenuiorem humilem oboriatur, quæ tamē cavenda erat, hic illi cedet. Nam & victi oderunt; & pares cum discedunt, tamen vinci se putant. Quā ob caussam homini docto hac in re suis viribus non utendum, sed ratio habenda potentioris præsentis, cū quo luctatur. Scitum enim est in loco cedere aut succumbere, in ea etiam arte, quam

quam profiteris: cum victoria sæpe perniciem habeat. *Ecclesiastic. c. 10. 29. Ne sapientem age in opere tuo faciendo, neque gloriosum tēpore angustiæ tuæ, c. 32. 6 intempestivè ne agas sapientem, & c. 7. 5. ne justitiam tibi adseras coram Domino, neq; coram Rege sapientiam. & Senec. libr. 7. De benefic. c. 31. vincit malos bonitas.*

A potentiore quoq;, vel honoratiore, aliquid acerbè exigere, vel flagitare non licet; sed tantùm admonere & verecundè rogare.

Jocari cum potente, vel honoratiore & digniore, inferior humilis omnino non debet, nisi esset ab illis provocatus, jussus & invitatus. Inest enim in joco, sicuti etiam in ludo, æqualitatis significatio, & securitas quædam, quâ superbia irritatur.

Cavillationem autem & in jocando licentiam, etiam immoderatam præstantioris & excellentioris, quamvis aculeum & contumeliā præse ferat, cum hilaritate & lepôre in partem bonam inferioribus excipere convenit, ita ut inprimis iracundiam, nequa forte erumpat, (effervescet enim illa quidem) quam diligentissime poterunt, comprimant; adeo ut licèt acrius superior pupugerit, nihil quidquā mordeant. Omnia hæc vindictæ signa & metum præbent, & obsequio atque observantiæ contraria sunt, cum non dicatur obedire qui doloris sui pœnas persequitur. Et suprà dictum, infirmitates, nævosq; honorandorum, æquo animo tolerandos, *Rom. c. 15. 1. 2. 3. Coloss. c. 3.*

13. *Ephes. c. 4.* 2. 32. & ob eos de obedientia, humilitate, reverentia & obsequio, nihil detrahendum, 1. *Pet. c. 2.* 18. 19. 20. Exemplo Davidis, qui Regi impio & Tyranno Sauli nihilominus hæc præstitit, 1. *Sam. c. 26.* 8. 9. 10. 11. 15. 16. *& seqq.* 1. *Pet. cap.* 2. 17. *& seqq. Ergo sequere consilium Catonis:*

Cede locum, læsus, fortunæ; cede potenti:

Cedere qui potuit, prodesse aliquando valebit. *Proverb. c. 14. Qui patiens est, multa gubernatur sapientia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Et Cicero: Tempori cedere, id est, necessitati parêre semper sapientis est habitum. Senec. lib. 2. De ira: Potentiorum injuria hilari vultu, non patienter tantum ferenda sunt, & Cicer. ad Attic. Temporibus parêre omnes politici præcipiunt. Est enim non modo liberale, paululum nonnunquam de suo jure cedere, sed interdum etiam fructuosum, Cicer. lib. 2. Offic.*

CAP. III.
De gestu & habitu reverentiali communi.

DE Reverentiali sermone hactenus. Sequitur de gestu & habitu reverentiali.

Jurisconsulti vocant operas obsequiales & officiales, *l. 6. l. 9. De oper. libert. tot. tit. De obseq parent. & pat. præstand.* quæ verecūdiæ causa & honoris ergó præstantur, *l. 41. libertus, De oper. liber. l. 1. et seqq. D. de obsequ. parēt. & patr.*

Hic imprimis curandum inferiori, ut ge-

stus,

ftus, motus, inceſſus, ſtatus, ſeſſio, accubatio, manus, oculi, vox, ineptiis vacent, nec nō contemptu & vilipendio, ſed reverentiam potius & obſequia erga ſuperiorem oſtendant.

Locus & ſedes cōſpectior & ſuperior digniori ab inferiore tributus, reverentiæ, obſervantiæq; declaratio eſſe exiſtimatur, *1. Sam. c. 9. 22. Adſumpſit tamen Samuel Saulem & puerum ejus, quos introduxit in cœnaculum, deditq; eis locum in ſummo invitatorum, &c. Geneſ. cap. 43. 33. Sederunt autem coram eo ſecundum primogenita ſua & ætatem, &c.* 34. *Matth. c. 23. 6.* 12. *Marc.* 12. *39. Luc. c. 20. 46. c.* 14. 7. 8. *Cum vocatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbito primo loco, ne forte honoratior te ſit vocatus ab eo, 9. & is qui te & illum vocavit, veniens dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum pudore ultimum locum obtinere, 10. Sed cum vocatus fueris, vade diſcubitum in ultimū locum, ut quū venerit qui te vocavit, dicat tibi, Amice, aſcende ſuperius; tunc erit tibi gloria in conſpectu eorum, qui tecum diſcumbunt.* Job. *c.* 29 25. *Si eligebam viam eorum, primarius ſedebam; deniq; habitabam, ſicut Rex inter turmarios ſuos, Prov. c. 25. 7. Eſt. c. 3. 1. c.* 1. 14. 15. 1. *Reg. c. 2. 19. Geneſ. c. 43. 33. 34. 1. Sam. c. 20. 25.* Jacob. *c.* 2. 3. 4. *Proverb. c. 25. 6. 7. nam melius eſt tibi dici, Aſcende huc, quam deprimi coram ingenuo. Druſius lib. 12. Obſervat. c. 25. Tiraquel. De nobilit. c. 20. num. 51. & ſeqq. & de jure primogen. in præfat. num. 115. & ſeqq. Valer. Maxim. libr. 2. c. 1. l. 2. l. 3. C. de offic. civil.*

judic. l. 3. §. sedendi, ubi glos. C. ubi Senat. vel clariss. l. ult. C. de tyronib. Seneca lib. 6. De benefic. Est propriũ superbiæ, magno æstimare introitum, ac tactum sui liminis pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, &c.

Equitibus etiam apud Romanos locus & sedes honoris caussâ dabatur, *Senec. lib. 7. De benefic. Cicer. Philipp. 2. & senatoribus primus ordo subselliorum adsignatus. Sueton. in August. c. 44. Tacit. lib. 16. Annal.* Aliquando tamen pro ratione dignitatis etiã locus intermedius tribuitur, *l. 1. l. 2. C. ut ord. dign. servet. libr. 12. Tiraquell. d. loco.* secundum loci cujusq; consuetudinem, *l. non tantum, C. de Decurion. lib. 10. Tiraquell. d. loc. Daniel. cap. 13. 50. Dixerunt Danieli seniores, adesdum jam, sede in medio nostrum, & renuncia nobis, &c. Luc. c. 2. 46. Et factum est triduo post, ut invenerunt eum in templo sedentem in medio Doctorum & audientem eos & interrogantem, vid. Joh. Guil. Stuckium, libr. 2. convivial. antiquit. c. 35. in fin. varias diversorum populorum opiniones & mores de loco supremo, medio & infimo referentem, & Justum Lips. è Antiq. lection. lib. 3. & Cal. Rhodigin. libr. 10. c. 15. Pet. Greg. lib. 4. de Repub. c. 10. num. 12. 13.*

Locus vero a dexteris adsignatus, vel occupatus, dignitatis & honoris esse dicitur. *Matth. c. 20. 21. & seqq. c. 25. 33. 34. Luc. c. 22. 20. Coloss. c. 3. 1. Marc. c. 16. 19. 1. Reg. c. 2. 19. Et sedens in solio suo (Salomo) apponi jussit solium matri Re-*

tri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus. & Psalm. 45. 10. & Psalm. 110. 1. ubi Junius. Genes. c. 48. 13. 14. 17. 18. Alex. ab Alexand. libr. 2. Genial. dier. c. 19. Gell. libr. 2. c. 2. Tiraquellus de jur. primogen. in præfat. num. 13. & seqq. Petr. Greg. de Repub. lib. 4. c. 10. num. 10. 12. & seqq. lib. 6. Syntagm. c. 6. 7. 8. & seqq.

Sedenti præstantiori & honoratiori adstare, honoris & reverentiæ argumētum esse dicitur. *Genes. c. 18. 8. Et ipse (Abraham) adstabat eis sub arbore illa comedentibus. Exod. c. 18. 13. Fuit autem altero die, sedente Mose ad judicandum populum, cū adstaret populus ipse Mosi, a mane illius diei usque ad vesperam. & 1. Reg. c. 1. 28. c. 8. 14. Tota congregatione Israelis stante, Rex benedixit, &c. & vers. 55. 1. Sam. c. 22. 6. 9. Genes. c. 47. 31. c. 49. 33. ubi Junius notat. & ad idem allegat Num. c. 23. 21. Judic. c. 3. 20. 2. Reg. c. 23. 2. 2. Chronic. c. 34. 31. Nehem. c. 8. 6. Jacob. c. 2. 3. 4. Luc. c. 22. 25. 26. Job. c. 29. 8. 9. 2. Reg. c. 23. Est. c. 5. 9. Act. c. 23. 3. Tu sedens judicas me, &c. & vers. 4. Tum qui adstabant, dixerunt, &c. Gell. lib. 2. c. 2. Alexand. ab Alex. lib. 2. Gen. dier. c. 19. l. quisquis, §. ult. C. de postul.* Sedere enim proprium est digniorum. *Psalm. 119. 23. Psalm. 80. 2. Psalm. 47. 9. Matth. c. 23. 2. c. 26. 55. Marc. c. 3. 32. Luc. c. 10. 39.*

In eundo etiam, gestu & habitu, honor, reverentia, cultus & obsequium digniori & honoratiori præstari potest ab inferiore, quando primus locus in eundo seu præitio & prçcessio

illi conceditur. *Tiraquel. de jur. primigen. in præfation. num.* 118. & illi ceditur. *Tiraquel. d. loc. num. 80. & seqq. Luc. c.* 14. 7. 8. 9. 10. vel eundem comitatur inferior, deducit, exspectat, vel sequitur. *l. 15. item.* §. 23. *de injur. Gell. lib.* 2. *c.14. Valer. Max. lib. 2. c. 1. in fin. & c. 2. Act. c. 21. 5. 6. Sed peractis illis, abiimus, omnibus deducentibus nos cum uxoribus & liberis extra urbem usque. 2. Sam. c. 19. 32. Barzillai quoque Gilhaditа descenderat Roglinis, quare trajecit cum rege Jordanem, prosequendo eum Jordanẽ, & vers. 10. 11. 12. Quare essetis postremi, ad reducendum regem domum suam. 1. Sam. c. 10. 26. Comitantibus eum copiis quorum tetigerat Deus animos. Genes. c. 26. 31. Surgentes mane juraverunt alter alteri, deduxitque eos Isac, & abierunt ab eo cum pace. Act. c. 20. 38. & deduxerunt eum ad navim. Sic & Abraham Angelos illos comitatus est. Genes. c.* 18. & 1. *Sam. c. 9. 26. 27.* Unde sequi tergum, est obsequii declaratio, *Esai. c. 59. 13. 1. Sam. c. 12. 22. & seqq. c. 10. 26. Luc. c. 2. 51. adde Actor. c. 10. 23. Postridie vero Petrus abiit cum eis, & quidam ex fratribus Joppensibus comitati sunt eum. Et refert Gellius libro secundo cap. 15. seniores à minoribus domum reductos fuisse honoris ergô.*

Prætereunti honoratiori & digniori adsurrectio à sedente honoris ergô præstari solet ab inferiore, *Levit. c. 19. 32. Coram canitie assurgito, ut honorè habeas faciei senis: & timebis à Deo tuo. Genes. c. 23. 7. Tum adsurgens Abraham, incur-*

incurvavit se coram populo ejus regionis, honorem exhibens filiis Cheti. Exod. c. 33. 8. 9. 10. & 1. Reg. cap. 2. 19. Itaq; cum venisset Bathsebah ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia, adsurgens Rex obviam ei incurvavit se, &c. Job. c. 29. 8. etiam decrepiti adsurgentes stabant, Genes. c. 42. 6. Ester. c. 8. 4. Unde stare ante Deum, erat eidem ministrare. Jerem. c. 23. 22. Zachar. c. 3. 7. Ester. cap. 5. 9. Sed cum videret Haman Mordechaium in porta Regis, ut neq; absurgebat, neque movebat se propter ipsum, &c. 2. Chron. 7. 6. & paulo ante pluribus confirmavi. Civis Atheniensis senex in theatrum veniens occupatis sedibus locum quærebat, nec erat ex Atheniensibus qui vellet cedere. Delatus ad Lacedæmonios, simul omnes adsurrexerunt ei senem sessum receperunt. Quam observantiam populus videns, commendavit hoc encomio, quod in sola Sparta juvet cōsenescere. Athenienses vero hoc dicto notati sunt: Scire quidē eos quid honestum sit, sed non facere. *Virgilio in theatrum ingredienti & carmina sua recitaturo, populus Romanus adsurrexit ac si ipse Imperator esset, adde Gell. lib. 2. c. 15.*

Processus obviam factus venienti, honoris & reverentiæ signum esse judicatur. 1. *Reg. c. 2. 19. Genes. c. 18. 2. Quos videns, accurrit obviā eis ex ostio tentorii sui, & seqq. c. 47. 7. & 1. Reg. d. c. 2. 19. Exod. c. 18. 7. Tunc processit Mosche obviam socero suo, & incurvans se osculatus eum est. 2. Sam. c. 19. 26. Fuitq; obvius regi, cum rediret Rex Jerusalem, & vers. 16. 17. 18. 21. Genes.*

c.46.29.30. 1. Sam.c.13.10. Et exivit Saul obviam Samueli ad benedicendum ei, cap.16.4.5. Cum itaq; Samuel adveniret Bethlechemum, trepidi accurrerunt seniores civitatis obviam ei, & dicebat quisq; prosperéne advenis? c.18.5. Genes. c.14.17. Quare egressus est Rex Sedomi obviam Abrahamo, postquam rediit à cade, &c. Ita Jacobus cum tota familia sua fratri suo Esauo obviam venit, quo ut placato uti posset muneribus & observantia delinitum sibi reconciliavit. Atq; ut actus esset splendidior, primò ancilla cum liberis suis accedunt; deinde Lea cum suis liberis: tandem Rahel cum Josepho, vid. Genes. c. 32. 2. Sam. c. 19. 16. Jehuda autem venit Gilgalem, ut iret obviam Regi, ad traducendum Regem, cis Jordanem, & 17.18. & seqq. 2. Reg. c. 2. 15. Quare venientes obviam ei, incurvarūt se in terram usq;, honorem exhibentes, & 1. Reg. c. 2. 19. ibi adsurgens Rex obviam ei, &c.

Ejusdē generis & significationis est decessio è via, quæ honoris ergô fieri solet, occurrenti honoratiori *Alex. ab Alex. Gen. dier. lib. 2. c. 19.*

Similiter & descensus de equo vel curru, honoratiore se obviam offerente. *Judic. c. 1. 14. Quare ea desiliit de asino. Cui dixit Caleb, quid tibi est? ubi Petr. Martyr Genes. c. 24. 64. Ribba verò sublatis oculis suis, quum videret Jitzhakum, dejecit se de camelo, & vers. 65. & accepto peplo operuit se. & c. 20. 16. ubi Jun. Senec. lib. 8. epist. 65. Si consulem, inquit, videro, aut pratorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam, equo desiliam,*

filiam, caput aperiam. Ex hac caussa Fabius pater proconsul à filio suo consule equo descendere jussus fuit. vid. Gell. lib. 2. c. 2. in fin.

Huc etiam refero, quod in itinere faciendo digniores & honoratiores rheda utantur, vel equo, quibus vehuntur. *Genes. c. 41. 43. Et jussit eum insidere currui secundani. &c. c. 46. 29. Est. c. 6. 6. 7. 8. Et equo cui Rex insidet adducto, quum impositum fuerit Diadema regium capiti ejus. 9. 10. & seqq. vid. Jerē. c. 17. Huc facit Zach. c. 9. 9. Matth. c. 21. 3. Dionysius Tyrannus Platoni in Siciliā venienti, navem pulcherrime exornatam misit qua veheretur, & egredientem è nave, currui imposuit, quem quatuor albi equi trahebant. Et Joseph patri currū misit. vide Tiraqu. de nobil. c. 20. n. 77. & seqq.* Vel etiam gestantur lecticâ a lecticariis & gerulis. *Sen. lib. 7. epist. 56. & De vita brevit. l. item, 49. de legat. 3. Sueton. in Caligul. c. 43. Martia. Apulejus 2. Apolog.*

Honoris quoq; ergô honoratioris & dignioris ædes seu domum in negotiis etiam dignioris, adit inferior. *l. pen. §. ulti. de condit. & demonst. Luc. c. 1. 43. c. 7. 6. Misit ad eum centurio amicos, dicens ei, Domine non sum dignus, ut tectum meū subeas. 7. Ideo ne me ipsum quidē sum dignum arbitratus, qui venirem ad te. &c. Luc. cap. 1. 43. Unde hoc mihi, ut veniat ad me mater Domini. &c. Act. c. 21. 5. Tiraquel. de nobilit. c. n. 46. & seqq.* sed adit nō subito & inopinato, sed præmonitione facta & quasi venia petita, & aditu impetrato accedit. *Exod. c. 18. 6. Dixitq;*

Mosi, ego socer tuus Jethro, venio ad te, &c. Tunc processit Mose obviam ei. Ester. c. 4. 11. 16. c. 5. 2. c. 2. in fin. & Genes. c. 32. 17. & seqq.

Vocato humiliori ad honoratiorem vel excellentiorem, non abeundum est, nisi veniam præfetur, aut dimissus sit.

Reverentiæ quoq; & honoris ergô sella, vel sedes ad sedendum, seu sessum capiendum, digniori & honoratiori ponitur, 1. *Reg. c.* 2. 19. *Et sedens in solio suo, apponi jussit solium matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus. Refert etiam Job. d. c. 29. 8. pueros, honoris ergô, se viso, se occultasse. Gellius lib. 2. c. 2. historiam refert de Philosopho sellam patri & filio honoris ergô ponenti.*

Gestu & habitu singulorum membrorum corporis inferior honorem præstare potest superiori, honoratiori & præstantiori, uti genuum inflexione, corporis terram versus inclinatione & incurvatione, quo habitu sancti quoq; viri in honoris signum usi sunt, ut constat exemplis pluribus. *Marc. c. 10. 17. Psalm. 72. 9. ubi Jun. Genes. c. 43. 26. 27. 28. c. 33. 3. & seqq. c. 37. 7. 9. 10. & text. notab. Genes. c. 32. c. 47. 31. c. 18. 2. c. 19. c. 23. 12. c. 41. 43. c. 48. 12. c. 27. 31. c. 42. 6. Num. c. 22. 31. 2. Sam. cap. 24. 20. 22. 1. Reg. c. 1. 16. 23. 24. 31. 53. Exod. cap. 12. 27. 43. 45. 48. cap. 18. 7. c. 20. 5. c. 33. 10. cap. 34. 8. 2. Chronic. c. 24. 17. c. 6. 13. c. 7. 3. 1. Reg. c. 19. 18. Luc. c. 24. 5. Actor. c. 16. 29. 2. Sam. c. 25. 10. & seqq. Daniel. c. 2. in fin. Marc. c. 10. 17. Roman. 5. 14. 11. Est. c. 3. 5. 2. c. 5. 9. 2. Samuel. c. 15. 5. 6. c. 14.*

c.14. 23.4. 5.c. 18.20.28.c. 19.18. & passim alibi. vid. Alex. ab Alex Genial. dier. lib. 2. c. 19.

Hodie in corporis incurvatione, alii utrumque genu pariter inflectunt, idque rursus alii recto corpore, alii nonnihil incurvato. Quidam, erecto corpore primum dexterum incurvant genu, mox sinistrum. Alii, modulato corporis circumactu, dextrum duntaxat inflectunt genu, ut Erasmus ait.

Honoratur etiam præstantior & dignior humili inferioris submissione, qua ejusdem ministerio & usibus se suamque operam & studium offert, 1 *Sam. c. 25. 24. & seqq.* 2. *Sam. c. c.16.15. Dicentibus ergo Regi servi regis, omnino prout elegerit dominus meus Rex, ecce servos tuos, 21. In loco ubi erit dominus meus Rex, sive ad mortẽ, sive ad vitã, ibi futurus est servus tuus. & vers. 32. & seqq. Gen. c. 45.9.10.11. & seqq. Job. c.29.2. Sam. c. 24.20. & seqq. c. 17.27.28.29.*

Atq; hinc lotio pedum, quæ in signum ministerii & servitii alii fit. *Johan. c. 13.13.14. & seqq. Luc. c. 7.38.* Solutio corrigiarum solearũ, *Joh. c. 1.27. Hic ille est qui pone me venit, qui mihi antepositus est, cujus solearũ ego nõ sum dignus, qui solvam corrigiam.* Pedum excalceatio. *Sueton. in Vitell. c. 2. vid. Joh. Guil. Stuckium lib. 2 antiquit. convivial. cap. 27.* Ministerii ad mensam præstatio, *Luc. c. 17.8. Imo nonne dicet ei (servo suo) para quod cœnem & præcinctus ministra mihi usque dum edero ac bibero, & postea edito tu & bibito, Johan. c. 12.2.3.*

Capitis nudatione honoratiores & præſtātiores honorare ſolemus, qua omnia noſtra patefacere nos velle declaramus, & ſubjectionem atq; ſubmiſſionem noſtrã patefacimus, *arg.* 1. *Corinth. c. 11. 4. & ſeqq. Geneſ. c. 20. 16. ubi* Jun. *c.* 24. 65. *c. 20.* 16. *Alex. ab Alex. lib. 2, c. 19. Gen. dier. & Seneca lib.* 8. *epiſt. 65. Plutar. in problem.* 10. *Polydor. Virgil. lib.* 4. *c. 13. Guil. Stuck. lib.* 2. *c.* 28. *antiq. convivial. Seneca in epiſtolis. Si conſulem video aut prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet, faciam, equo deſcendam, caput adaperiam, ſemitâ cedam.*

Hujus generis eſt etiam civilis adoratio quędã honoris cauſsâ præſtita. *Eſt. c.* 3. 2. *Druſius lib.* 12. *Obſ. c.* 11. *hanc Perſis familiarem fuiſſe adſerit*, quæ adoratio manu ori admota, fieri ſolet. *Ita Druſius libr.* 1. *Obſ. c. 20. per alleg. ibidem & Job. c.* 31. 27. *ubi* Jun. Vel manus aut pedis dignioris deoſculatione, *Geneſ. c. 41. 40. Tu praeris domui meæ, & ad os te oſculabitur univerſus populus meus. ubi* Jun. *quem ſequitur Druſ. lib.* 2. *Obſ. c. 15. & c. 16. Pſalm.* 2. 12. *Oſculamini filium, &c. Hoſea c.* 13. 2. *Homines qui ſacrificant vitulos oſculantor,* 1. *Reg. c. 19. 18. Reliquos feci ex Iſraele ſeptem mille, quorum omnium genua non curvarant ſe Bahali, et quorum omnium os non oſculatum eſt illum,* 1. *Sam. cap.* 10. 1. *Tunc accepta Sehemuel lenticula olei, perfundens caput ejus oſculatus eſt eum, & dixit, &c. Prov. c. 24. 26. Labia oſculabitur ejus qui reſpondet verba recta. ubi* Jun. *Luc. c.* 7. 38. *Et ſtans apud pedes eius*

retro,

retro, flens cœpit lachrymis pedes ejus rigare & capillis capitis sui extergebat, & deosculabatur pedes ipsius & unguento ungebat, & 45. *Non intermisit deosculari pedes meos, Ecclesiast. c.29.5.&c. 7. dixi latius de osculi varia significatione, quæ erat rei charissimæ nota. Hodie filius perditionis, pedes suos ad malefaciendum veloces potentissimis etiam Monarchis osculandos præbere solet, ut hoc ipso quoq; testetur se super omnia se extulisse. Senec. lib. 2. De benefic. c.12. Cæsar Pompejo Pano absoluto & agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant, negant id insolentiæ caussa factum, & ajunt socculum auratum, imo aureum, margaritis distinctum ostẽdere eum voluisse, vid. Polydor. Virg. lib. 4. c. 13. Platin. in vitis Pontific.* Persæ olim quos sibi pares colebant, osculo impartiebantur; potentiorum vero genua inferiores manu tangebant; & nõnunquam pedes, sicuti & aliæ gentes osculabantur. *Alex. ab Alex. lib. 2. Gen. dier. c.19.* atque eodem cultu & reverentia honestatum & exceptum fuisse Scipionem á quibusdam, *refert Val. Max. lib. 2. c. 10. & latius Seneca lib. 6. epist. 47. Suet. in Caligul. c. 56, & in Domit. c.12.*

Honestatur etiam dignior & prestantior ab illo qui silentium præstat, & ad sermones loquentis attendit. *Job. c. 29. 9. Principes continebant sermones, & manum imponebant ori suo,* 10. *Eloquentes antecessores occultabant se, eorumque lingua palato eorum adhærebat, & vers.* 21. *Mihi auscultantes, exspectabant: & conticescebãt.*

ad consilium meum, 22. *Post verbum meum, non non iterabant; ita super eos stillabat sermo meus*, 23. *Exspectabant enim tanquam pluviam me, & os suum distendebant. Marc. c.* 9. 32, 34. *Luc. c.* 9. 45. *Actor. c.* 5. 13. *Divite loquente, omnes silent, &c. Paupere loquente dixerunt, quis est iste? Ecclesiast. c.* 9. 17. *& seqq.*

Hinc reverentiæ & cohonestationis significatio est, quando quis judicio & sententię dignioris adquiescit, *uti apparet ex Job. c. 29. 21. 22.* 24 25. *ubi Junius.* sicuti & quando monitis & præceptis præstantioris obedientiam præstat, 1. *Timoth. c. 6.* 1. 2. 3. 4. *Hebr. c.* 13. 17. *Ephes. c. 6.* 5. 6. 1. *Pet. c. 2. 18. Coloss. c.* 3. 20. 22. *Jerem. c. 35.* 6. 14. 18. 19. quæ obedientia sub honore comprehenditur juxta præceptum, Honora patrem & matrem tuam, 1. *Sam. c. 15. 30. c.* 2. *30. Rom. c.* 13. 7. *Joh. c.* 8. 49. *Matth. c.* 15. 4. 5. *Ephes. c.* 6. 2. 1. *Timoth. c. 5. 3.* 17. 1. *Pet. c.* 2. 17.

Quandoq; honoratior præstantiorq; etiam munusculi, seu honorarii oblatione honoratur. *De qua re vide exempla Genes. c. 32. 13.* 18. *c. 33. 8. 10.* 15. *c. 43.* 11. *Dan. c.* 2. 48. 1. *Sam. c. 10.* 4. 5. *c.* 9. 23, 24. 2. *& c.* 8. 22. 23. 1. *Timoth. c. 5.* 17. 1. *Reg. c. 10.* 10. 13. *Jerem. c. 40.* 5. *Matth. c.* 2. 11. *Judith. c.* 13. *Judic. c.* 3. 17. *Helius Adrianus Imperator liberalitatis & observantiæ ergô emeritos professores Romæ honoribus & congiariis auxit, ut honestè quod reliquum vitæ esset, transigerêt.* Vel etiam honoris & delectationis gratiâ, cōvivio excipitur, *Luc. cap.* 5. 29. *Et fecit ei Levi epulum magnum*

magnum domi sua, Job. c. 12. 2. *Fecerunt igitur ei cœnam illic, et Martha ministrabat; Lazarus vero erat unus ex discumbentibus cum eo.* Job. c. 1. *Luc. c. 14. 7. & seqq. Genes. cap. 43. 16. 33. 34. 1. Samuel. 9. 23. 24. c. 1. 5. Vide Athenæum libr. 1. Dipnosoph. et* Joh. *Guil. Stuck. lib.* 1. *De conviv. & Exod.* 18. 12. *& infra cap.* 20.

Honoris quoq; & reverentiæ ergô prestantiores & digniores homines pro charissimis à nobis sunt agnoscendi. *1. Thess. c. 5. 12. Rogamus autem vos fratres, ut agnoscatis eos qui laborant inter vos & præsunt vobis in Domino & admonet vos, 13. Et quam maximè charos ducatis propter opus ipsorum, quibus adde* 1. *Macch. c.* 10. 20. 64. 65. *c.* 14. 43. 44. *c.* 15. 32. 8. 9. *Rom. c.* 16. 1. 2. *& seqq.* adeo ut quandoq; patris loco reverentiæ ergô habeantur. Job *c.* 29. 16. *Pater eram egentibus, & seqq.* 2. *Reg. c.* 13. 14. *c.* 2. 12. 1. *Timoth. c.* 5. 2. 3. Joh. *c.* 19. 26. 27. *c.* 6. 58. 1. *Cor. c.* 4. 15. ita ut non solum ipsi honoratiores & digniores tali amore & dilectione sint afficiendi, sed & eorundem amici & fautores, & cognati & quoscunq; amant illi, & cõtra eorundem inimici fugiendi. Adde his quod & insignib. quibusdam privilegiis & immunitatibus gaudeat & honestetur. *De quibus l.* 5. *& seqq. tit. C. de dign. tit. De vacat. & immu. mun. Tiraquell. De nobilit. c.* 20. *& De jure primog. in præfatio. num.* 108. *& seqq. & Horat. Lucius de privileg studiosi.*

Deniq; gestus & habitus cõversationis cum præstantiore & honoratiore ita instituendi, ut

omnia quæ vel umbram suspicionis cujusdam malæ, sinistræ, molestæ, vel abominationis, aut odii superioris generare possunt, fugiat inferior & omittat. Contra vero elaborandum inferiori & viliori, ut quibuscunque modis licitis & honestis præstātiori placeat; 1. *Corinth. c. 7. 33. 34. Ecclesiastis c.* 8. Quapropter moribus & voluntati illius gratiose humilis obsecūdare potest, & illius affectibus se adcommodare in jocosis, seriis, jucundis, vel tristibus, ne morum diversitas tacitum odium & dissidium pariat.

Dignior etiam ejusmodi & excellētior honorifice sepelitur, reverentiæ & honoris ergô, ut constat exemplis *Genes. c.* 25. 8. *c.* 49. 29. *& seqq. c.* 50. 1. 2. 3. 24. 25. 26. *Josu. c.* 24. 32. 33. *Judic. c.* 12. 7. *c.* 16. 1. *Reg. c.* 2. 10. 34. *c.* 11. 43. *Num. c.* 20. 28. *Deut. c.* 34. 5. 6. *& passim alibi, & latissime probat Tiraquel. De nobilitat. cap.* 20. *num.* 150. *& seqq.* & ab omnibus publice lugetur. *Deut. c.* 34. 8. *Et defleverūt filii Israelis Mosen in campestribus Moabitarum triginta diebus, quibus absoluti sunt dies luctus Mosis, Genes. c. ult.* 1. *Sam. c.* 28. 3. *Samuel autem mortuus est & plāxerunt eum omnes Israelita, quum sepelivissent eum Rama. & c.* 2. *Sam. c.* 1. 11. 12. 17. *c.* 3. 31. *& seqq. ubi David & totus populus mortem Abneri lugent & honorifice sepeliunt.*

Sepultura ejusmodi & pōpa lugubris redditur honorificentior vestitu lugubri & pullato, epicediis, lamentationibus, oratione ve aut

car-

carminibus funebribus, virtutes & facta laudabilia defuncti cantantibus & prędicantibus, *2. Sam. c. 1. 17. & seqq. & c. 3. 31. 32. & seqq. vide Lament.* Jerem. *vid. Alex. ab Alexand. lib. 3. Genial. dier. c.* 7. Feretrū solebant honoratissimi ferre. *Alexand. ab Alex. d. c. 7. Actor. c. 8. 2. Et Sephanum viri religiosi extulerunt, & fecerunt planctum super eum.* Funus etiam, & exequias clarissimorum & honoratissimorum virorū præsentia & deductio exornare solet, uti factum in funere Abneri. 2. *Sam. c. 3. 31. 32.* & Jacobi Patriarchæ, *Genes. c. 50. 7. 8. & seqq. Tiraquell. De nobilitate, c. 20. num. 150. & seqq.* Solebant quoque Romani honoris gratiâ, insignia honorū, quos defunctus gessit, pręferre funeri & exequiis defuncti, uti fasces, secures, lictores, arma, dona militaria, coronæ omnis generis, quas in vita meruisset, & similia plura magno cum apparatu; Quandoque etiam universus senatus & magistratus cum vexillis, vel equitum turmis, funus comitabantur, quod pręcedebat, & quod illi tanquā paulo póst morituri, sequebantur. In sepultura viri militaris honoratissimi, ea fuit pompa, ut armatæ instructæque legiones in turmas & centurias cum vexillis militaribus inversis, aut abjectis militiæ insignibus, defunctū comitentur phalerasque equis detrahebant, ensium mucrones & lancearum cuspides humi dejectas ferebant & rogum lustrabant. *Vid. Alexand. ab Alexand. lib. 3. Genial. dier. c. 7. & Euseb. lib.*

4.c.65.& seqq.in exequiis Constantini. In sepulchrũ defuncti, ea quę charissima in vita habuit defunctus, injiciebãtur, *d c.7.* ubi etiam refert gentium diversarum mores in condendis humandisq; corporibus defunctorũ, *& idem Alex.ab Alex lib.3 c.2.* Monumenta quoq; & sepulchra praeclarorum & honoratorũ virorum à plebejorum sepulchris distinguebantur. *vid. Jer. c.26. 23. Abjecissetq; cadaver in sepulchra popularium, 2. Reg. c. 23. 6. Et projecit pulverem ejus super sepulchrum illorũ popularium. 2. Chron. c. 26. 23. Tiraq. d. loc. Plane in sacris literis sepultura carere vel asini sepultura sepeliri, ignominia & infamia tribuitur,* Jerem. c. 22. 19. *ubi* Jun. 2. *Reg. c. 9.33. 2. Chron. c. 21. 19. 1. Reg. c. 13.23. c.16. 5.6.7.8. c. 21.24. Esa. c. 14.19. 20. Scipio Africanus tanti fecit Ennium Poëtam, ut honoris ergô columnã in sepulchro illius erigi curaverit.*

Huc pertinet quoq; memoria atq; nomen eorum honoratorum, quod post mortem honorati manet & vivit apud superstites. *Eccles. c. 44. 13. In seculum manet eorum semen, neque deletur eorum gloria, 14. Sunt quidem eorum corpora in pace, sed nomen eorum vivit in generationem quamque, 15. Sapientiam eorum narrant populi & laudem eorum enunciat Ecclesia. c. 45. 1. 2. & seqq. c. 46. & seqq.*

Jurisconsulti de operis obsequialibus & officialibus quas liberti suis patronis, & liberi suis parentibus, & servi suis dominis praestare tenentur, agunt *in tit. De oper. libert. & tit. De obse-*

obsequiis parent. & patron. præstand. quæ consistunt in faciendo vel omittendo.

In faciendo consistentes sunt, servire & famulari in mensa, camera, peregrè proficiscentem comitari & cum eodem morari & ejus negotium exercere. *l.38. hæ demũ, in fin. l.23.§.1.l. 20.§ 1. de op. libert. Zas. lib. 1. c.3. intellect singul.* dictis factisq; eũ observare, revereri ita, ut persona patris, patroni & domini semper illis honesta & sancta sit, *l. liberto, 9. De obseq. parent. et patron. præst. l. 1. d. t. l. 6. de in jus voc. Ephes. c. 6. & seqq.* monentem & jubentem audiant, *l 1. De obsequi. l. 7. §. 2. de injur.* ei adsurgant & de via decedant, *argument. l. 1. l. 9. de obsequi. par.* præstent illa quæ amicus amico præstare solet, *arg. l.3. 4. C. de libert. & eor. lib. & tit. C de ingrat. lib.* egentem alant, *l. 5. l. 6. de lib agnos. & alend.* defendant corpus, famam, vitam & bona ejusdem, *arg. l.1. de jur. patronat & d. l. 9. de obsequiis. l.1. C. d. t. l. unic. C. de ingrat. lib.*

In omittendo, ne dominos, patronos patresve suos lædant vel injuria afficiant, *l. 7. §. 2. l. 15. item, §. 44. 45 de injur. l. 1. l. 2. C. de libert. & liber. eor. l. 1. de obsequiis parent. & pat.* vel paupertate aut corporis valetudine laborantes, deserant, *l. 5. l. 6. De liber. agnosc. & alend.* aut quidquid faciãt, quod existimationem, vitam, bona vel corpus eorum lædit, *l. 1. de jur. patron. d. l. 7. §. 2. l. 15. §. 44. 45. de injur. l. 6. de jus voc. l. 1. de obseq. l. unic. C. de lib. ingrat. Novel. 115. c. 3. Colerus de pcess. executiv. part. 1. c. 9. & Zas. d. loc.*

Vestitus popularium conversantium & agentium cum dignioribus & honoratioribus, debet reverentiæ ergò esse elegans, mundus & honestus, *Genes. c.* 41. 14. *Joseph cum abrasisset caput & mutasset vestes, venit ad Pharaonem, & c.* 50. 4. *ubi* Jun. *Daniel. c.* 1. 4. 5. *& seqq. Luc. c.* 7. 25. *Ecce qui vestitu magnifico utuntur, sunt in palatiis regum, Est. c.* 4. 2. *& seqq vid. Alex. ab Alex. Gen. dier. c.* 19.

Conversatio popularium cum honoratioribus, temperata, parca, rara, esse debet: non frequens, assidua, crebra, juxta vulgatum, Procul à fulmine & Jove, *& Proverb. c.* 25. 17. *Studiose contine pedem tuum à domo proximi tui, ne saturatus tui odio habeat te.* Quam ob caussam in conversatione superiorum, tanquam igne utendum, a quo si longius recesseris, minus caloris percipies; si propius accesseris, plus caloris quo absumèris. *Eccles. c.* 13. 11. *Accersente te potentiore, esto ut qui subducit se, & eo magis perget te accersere,* 12. *Ne irrumpas, ne detrudaris, ne longè absistas, ne tradaris oblivioni. vid. d. c.* 13. *per tot. & c.* 32. 12. *Inter magnates ne æqualem te prebeas.* Nam multum & frequenter cõversari & communicare cum potentioribus & superioribus te, periculosum, *ut latè & eleganter explicat Ecclesiasticus c.* 13. *per tot.* Nam humili & paupere labente omnes increpant; & eodem loquente scientiam, non tribuitur illi locus. *Eccles. d. c.* 13. 26. Contra fit in divitibus & potentioribus, *d. c.* 13, 24. 25. 26, 27. 28. *& Eccles.*

Ecclesiastis c. 9. 17. 18. 19. 20. 21. 22. Jacob. c. 2. 1. 3. 4. & Seneca De provident. Inimicitiæ potentum sunt graves. & lib. 2. epist. 14. Sapiens nunquam potentium iras provocat; imo declinat, non aliter quam in navigando procellam. Ecclesiastic. c. 9. 16. Longe absiste ab homine qui potestatē habet occidendi, ut minime suspiceris timorem mortis. & seqq.

CAPVT IV.

De caussa morum reverentialium, qui præeminentibus splendore & gloria fulgentibus præstantur.

DE moribus & conversatione reverētiali & obsequiali omnibus honoratiorib. communi, huc usque dictum esto; sequitur nunc de moribus reverentialibus, quæ singularibus & quibusdā, imperio scilicet & potestate propria præditis & præeminentibus personis, præstantur.

Dignitas hæc superior, cui hi mores obsequiales debentur & competunt, est, quæ comitatur eum, qui suo jure in subditos imperium exercet cū potestate puniendi, coercendi, animadvertendi in facinorosos & bonos præmiis afficiendi.

Hæc dignitas suos etiam habet gradus, pro ratione potestatis & magistratus, quē comitatur. Est enim quædā suprema & maxima, quędā ab hac immediate pēdens. *1. Pet. c. 3. 13. 14. Subjecti estote cuivis humanæ ordinationi propter*

Dominum; sive Regi, ut qui superemineat. 14. Sive præsidibus, ut qui per eum mittantur, tum ad ultionem maleficiorum, tum ad laudē rectè agentium, Rom. c. 13. 1. 2. 3 4. Exempla hujus extant Genes. c. 41. 38. & seqq. Est. c. 3. 1. 2. 3. & seqq. c. 8. 1. 2. & seqq. Daniel. c. 6.

Supremæ dignitati, quæ nullum aliū quam Deum, agnoscit superiorē, debetur omnis reverentia, honor & obsequia, quę in hominem post Deum cadere possunt, *vid. Eccles. c.* 8. 1. 2. 3. *& seqq. ubi Jun.* Nam cū hic maximā curam, solicitudinem & studium ponat defendendorum & protegendorū subditorū, contra quasvis injurias aliorum; & potestatem ordinandorum eorum quę ad salutem subditorū & vitam piè & tranquille ducendā pertinent, habeat; & aliis inserviendo seipsum quasi consumat, ideo hęc cura, protectio, providētia, gubernatio & officium meritò honorandum est. *Qua de re eleganter Sen. lib. ad Polybium: Cæsari, inquit, ipsi cui omnia licent, multa non licent; omnium domos illius vigilia defendit; omnium otium illius labor; omnium delicias, illius industria; omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, & syderū modo (quæ irrequieta semper cursus suos explicant) nunquam illi licet neq; subsistere, neq; quicquā suum facere.* Deinde negari nō potest, Magistratum dominum & defensorem esse subditorū corporum, vitæ, bonorum, famæ & existimationis & pudicitiæ defensorem & maleficiorum ultorem;

quæ

quæ dona à Deo in ipſum collata, agnoſcenda ſunt. Gerit enim in his quaſi typum Divinæ potentiæ, majeſtatis, gloriæ, imperii, clementiæ, providentiæ, curæ, protectionis, gubernationis & bonitatis, quod potiſſimum apparet ex illis quæ hujus officio commiſſa ſunt. Habet enim hic Magiſtratus, imperium perpetuum, nullis legibus, tempore, loco, vel cauſſis definitum, ut Juriſconſulti definiunt, & exemplis piorũ magiſtratuum probatur, *Deuteronom. cap. 17. 20. Geneſ. cap. 49. 10. & dixi latius in Dicæologica libr. 1. cap. 32. De ſummo imperio.*

Habet quoq; poteſtatẽ per miniſtros verbi Religionis exercendę, introducendę, promulgandæ, ſecundum verbum Dei in territorio ſuo. *vid. 2. Chronic. c. 33. 16. c. 34. 8. 33. & ſeqq. 2. Reg. c. 10. 1. Sam. c. 8. Daniel. c. 3. c. 6. 26. Pet. Martyr* 1. *Sam. c.* 28. *Euſeb. in vita Conſtantini, lib.* 4. *Socrates lib.* 11. *cap. 9. hiſtor. eccleſiaſt. Theodoret. lib. 5. c. 2. lib. 4. c. 5. Ruffini. lib.* 2. *c.* 1. & ad veram religionem & externam diſciplinam ſuos ſubditos cogendi, 2. *Chron. c. 15. 12. 13. 14. c 34. 33. c. 17. c. 33. 16. Nehem. c. 10. Luc. c.* 14. 23. *ut latius diſſerui libr.* 1. *Dicæol.* Habet etiam jus concilii univerſalis indicendi & convocandi. *Judic. c. 20. 2. Chron. c. 1. 2. 3. 5. 15. 9. 10. 11. c. 10. 1. c. 32. 6. 7. c. 34.* 19. Jus publicę ſecuritatis, ſeu ſalvi conductus, per territoriũ ipſius eundi, ſine ulla alterius offenſione, læſione, aut impedimento, qui dicitur cõmeatus & re-

meatus, *l. 22. filii*, §. *pen. ad municip. l. relegati, de pœn. de quo etiam Genes. c. 33. 15. cap. 26. 16. 17. 27. c. 12. 17. c.* 18. 16. *Numer. cap. 21. 22. Judic. c.* 11. *19. 20.* 21. 22. & 1. *Samuel. cap.* 27. *5. 6. Deut. cap.* 2. 27. *28. Num. cap. 20.* 21. 22. 16. 17. *Exod cap.* 18. 27. *1. Samuel. c.* 22. 23. 2. *Sam. c. 14. 9. 10.* Habet etiam jus commerciorum, in territorio suo agitandorum & exercendorum, *tit. C. de commerc. & mercat. Genes. c. 34.* 21. & *seqq. c. 42.* 34. Jus monetæ percutiendæ & signandæ cum certo pondere, valore & publica functione, *c.* 1. *quæ sunt reg. in usib. feud.* 1. *Macchab. c. 15. 5. 6. 7. Matth. c. 22. 17.* 18. *20.* Jus belli indicendi, vel pacis ineundæ, *tit. Cod. ut arm. us. inscio princ. libr.* 11. *Novell.* 85. & 1. *Samuel. c. 13. 19. c.* 11 *6. 7. & seqq. 2. Sam. c. 5.* 2. *ibi, Tu educebas & introducebas, &c. Exod. c.* 17. *Judic. cap. 5. 9.* 23. *c. 21. c.* 11. *Levit. cap.* 27. *Num. c. 21.* Jos. *c.* 15. *c.* 8. *Deut. c.* 17. 16. 17. Jus magistratus intermedii constituendi, *1. Pet. c.* 3. 13. *14.* 15. *Exod. c. 18.* 21. *22.* 23. *25. 26. Deut. c.* 1. 15. *c. 16.* 18. 2. *Chron. c. 19.* Jus extremæ provocationis, *Bodin. de Repub. lib. 2. c. 10. Pet. Gregor. de Repub. li. 9. c.* 1. *n.* 36. *& seqq. Exod. c.* 18. 19. 22. 26. *Act. c. 25.* 11. 12. *13. c.* 26. *32.* Jus vitæ & necis. *Joh. c. 19.* 10. 11. *& seqq. Eccles. c. 8. c. 9. Roman. c.* 13. *Proverb. c.* 16. 14. *c.* 19. 12. 1. *Sam. c.* 22. 8. *& seqq. Daniel. c.* 2. 5. 12. *Senec. lib.* 1. *De clement. c.* 1. Habet deniq; jus & officium ordinandi, constituendi, defendendi, conservandi ea, quæ ad salutem & tranquillam, honestam

ac

ac piam vitam pertinent; jus gubernandi & regendi ſubditos, pœnas maleficis infligendi & præmio bonos afficiendi. Ideo cuſtodiam & curam ſuorum ſubditorum gerit, ne eorum corpora, bona, fama, pudicitia, & exiſtimatio, atque honor ab aliis lædantur impunè, vel injuriâ quovis modo afficiantur. Et hinc eſt, quod honorificis titulis & cognominibus ornetur Magiſtratus. Vocatur enim Regia majeſtas, pater patriæ, *Senec. libr. 1. De clement. c. 14. l. 19. de interd. & relegat. Geneſ. cap.* 41. 42. 43. *& ſeqq. c.* 45. *8. 9.* Judic. *cap.* 5. 7. *ubi Petr. Martyr & Jun. & verſ.* 13. 1. *Samuel. c. 24.* 12. Lucerna Reipubl. 2. *Sam c.* 21. 17. 1. *Reg. cap.* 11. 36. *& Pſalm.* 132. *17. ubi Jun.* Dux & paſtor populi & ſubditorum ſuorum, 2. *Sam. cap. 5.* 2. *Eſai. c. 44 Jerem. c. 10. c. 50. 6. Ezech. cap.* 34. *Nahum. c. 3. Pſalm.* 78. *in fine.* Cor populi, anima Imperii & ſpiritus vitalis, *Senec. lib* 1. *De clement. c. 4. 5. Eſa. c.* 1. 5. *6. ubi Jun.* caput Reipub. *Judic. c.* 11. 2. *10.* 11. *13.* 19. 21. *c.* 5. 7. 2. *Sam. c.* 22. 44. *1. Sam. c.* 15. *17. 18. Eſa. c. 5. 7. ubi Jun. & verſ.* 13. *c.* 14. 15. *Pſalm* 18. *44. arg.* 1. *ad Corinth. c.* 11. 10. *Eſa. c. 7. c. 9. Deut. c. 28. Jerem. c. 48.* Regni anima. *Lipſius lib. 2 Politic. c. 16. & lib. 4. c. 9. Senec. lib.* 1. *De clem. c.* 4. *c.* 5. ſtatus publici tutor, *Senec. lib.* 1. *De clem. c. 4. l. 3. de offic. præfect. vig.* & inſtar plurimorum eſſe. 2. *Sam. c. 18. 3. 4.* Lex viva ſubditorum. *Novell. 105. §. 1. vid. Petr. Gregor. de Republ. lib. 6. & lib. 4.* & Magiſtratus ideo *Divus* vocatur, *l. Di-*

vus, de bon. damnat. §. 39. *thesauros, Inst. de rerum divis.* §. 3. *Instit. de donat. & passim alibi in jure civili, præsertim in Codice & Novell.* Semideus in terris, *Psalm.* 82. 6. *Exod. c.* 7. *1. c.* 22. 9. 10. 28. *Joh. c.* 10. 34. 35. *Dan. c.* 2. 37. 38. 39. 40. *Senec. lib.* 1. *De clement. c.* 1. *c.* 19. Apud Germanos ejusmodi summi Magistratus vocantur *Cæsares, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Gravii, Marcgravii, Pfaltzgravii, Rheingravii, Barones,* & pluribus aliis nominibus. Apud Ægyptios, *Pharaones* appellabantur. Apud Turcos hodie *Sultani.* Apud Judæos, modò *Reges,* 1. *Sam. c.* 8. & 1. & 2. *Reg.* quandoq; antecessores & ductores, 1. *Sam. c.* 9. 16. *c.* 10. 1. *c.* 8. 20. 19. *c.* 12. 4. *c.* 13. 14. 1. *Chron. c.* 11. 2. *c.* 17. 7. 8. *Esa. c.* 3. 8. 13. 15. In sacris literis vero εὐεργέται munifici, liberales appellantur, ut in *Psalm.* 146. 3. *ubi Jun. Psalm.* 113. 8. *ubi Jun. Proverb. c.* 8. 16. *c.* 19. 6. *c.* 25. 7. *Esa. c.* 13. 2. 1. *Sam. c.* 2. 8. *Job. c.* 30. 15. *c.* 29. Filii excelsi, *Psal.* 82. 6. & Dii, *Joh. c.* 10. 34. 35. *d. Psal.* 82. 6. ideo quod Dei sermo ad eos factus est, ut Christus docet, *Joh. d. c.* 10. 35. benefici & magnates, *Luc. c.* 22. 25. *Matth. c.* 20. 25. *Marc. c.* 10. 42.

Huic prędictæ causæ summæ reverentiæ, honoris & obsequiorum Magistratui summo prędstandorũ, accedit, quod Deus illi notas majestatis cujusdam impressit; & Divinæ suæ potentiæ, majestatis, gloriæ, imperii, clementiæ, bonitatis, defensionis, providentiæ, curæ, gubernationis & pœnę infligendę signa, impressit &

fit & indidit, ut patet ex exemplis. *Num. c. 27. 18. Edixit vero Jehova Mosi, Sume tecũ Josuam, filium Nunis, virum in quo est spiritus meus, ut imponens manum tuam illi, 19. Sistensq; illum coram Eleazare sacerdote, et coram toto cœtu, mandatis instruas illum, ante oculos eorum, 20. Et impertiaris ei de gloria tua, ut auscultent ei totus cœtus filiorum Israelis, & seqq. Psal. 51. 14. Redde mihi gaudium salutis tuæ & spiritu ingenuitatis sustentato me, 1. Chron. c. 29. 25. Magnificabat enim Jehova Salomonẽ ante oculos totius Israelis, indens ei majestatem regiam, qualis non fuerat in ullo regum ante ipsum super Israelẽ, & c. 14. 17. Sic abiit fama Davidis per omnes regiones; et Jehova indidit metum ejus omnibus gentibus, Judic. c. 3. 10. Cui cum insideret spiritus Dei, vindicavit Israelem, & vers. 15. Josu. c. 4. 14. Die isto magnificavit Jehova Josuam ante oculos omnium Israelitarum, ut reverentur eum quemadmodum erãt veriti Mosen omnibus diebus vitæ ejus. Deut. c. ult. 9. Erat autem Josua filius Nunis plenus spiritu sapientiæ, cum imposuisset Moses manus suas ei: quapropter auscultantes ei filii Israelis, fecerunt quemadmodum præceperat Jehova per Mosen. Exod. cap. 19. 9. 10. Hagge. c. 1. 14. Concitavitque Jehova spiritum Zerubabelis, ducis Jehudæ & spiritum Jehosuæ. & seqq. Tantam etiam Mosi majestatem Deus indidit, ut nunquam Pharao in eum manum mittere ausus sit. Et sic Gedion, Judic. c. 6. adde 2. Samuel. cap. 19. 28. & c. 14. 21. & Exod. c. 34. 29. & seqq. ubi Mosen ex*

monte Sinai redeuntem & facie splendentem populus timebat accedere. Num. c. 11. *17. Tum descendens loquar tecum ibi: & seponam de spiritu qui est super te, ponamque in eis; sic portabunt tecum onus populi, neque portabis tu solus. & vers. 25. Tum descendens* Jehova *in nube illa, allocutus est eũ: & seponens de illo spiritu qui erat super eũ, indidit septuaginta illis viris senioribus. Fuitque cum resideret super eos spiritus ille, &c. & vers. 26. 27. 28. 29.* 1. *Sam. c. 10. 6. Irruetque super te spiritus* Jehovæ, *ut prophetes cum eis: & mutaberis in virum alium. & vers. 9. 26. & c. 11. 6. & seqq. & c.* 16. *14. Samuel itaque accepto cornu olei, unxit eum in medio fratrum ejus, & irruens spiritus* Jehovæ *in Davidem, egit eum a die illo & deinceps. Exod. c.* 4. 16. *Judic. c. 6. 34. Sed spiritus* Jehovæ *induit Gedeonem, qui ubi clanxisset buccinâ, convocati Abihezerita eum secuti sunt.* 1. *Reg. c. 8. c.* 9. Majestatis hujus Magistratui impressæ exempla *refert Valer. Maxim. lib 2. c. 10. & Plutarch. in vita Marii. & Sueton. Tranquill. in vita Vespasiani. c.* 7.

Præterea in veneratione hac Magistratus, non tam persona ipsius Magistratus, qui instar Dei legati est, quam ipsius Dei delegantis, *Roman. c. 13. 4. 6. 1. 2. 3. 2. Chronic. c.* 19. *6. Hebræ. c.13.* 17 *Exod. c. 4.* 15 16. *c. 5. c. 6. 9. Daniel. c.* 2. 37. *& seqq. Eccles. c. 6. 5. & seqq. c. 13. 11. & seqq.* cujus vicem magistratus gerit, cũ timore agnoscenda est, *arg. Luc. c. 10. 16. Qui vos audit, me audit & honorat. c. 10. atque argum. Matth. c. 23.*

c. 23. 2, 3. 4. Ut tamen Deo ipsi in omnibus nõ assimiletur, *Act. c.* 14. 14. 15. *c.* 12, 21. *& seqq. c.* 10. 25. 26. Quia honorem suum Deus, alii nõ vult dare. *Esa. c.* 42. *Matth. c.* 4. 10. Quamvis quidam ita stulti fuerunt, ut sibi honores divinos tribui voluerint & superbiæ atque vanitatis intolerabiles titulos sibi usurparint, obliti se homines esse. *Daniel. c.* 6. 8. 9. & Dii dici & haberi, & Domini dominantium. *vide de hisce Pet. Gregor. lib.* 6. *c.* 10. *c.* 11. *c.* 12. *de Repub. Judith. c.* 3. *c.* 5. 29. *c.* 6. *Act. c.* 12. *Daniel. c.* 2. *c.* 3. *c.* 6. 8. 9. *c.* 4. 2. *Chronic. c.* 32. 13. *& seqq.* 2. *Regum c.* 18. *c.* 19. 2. *Macchab. c.* 9. 8. 13. *c.* 15. 23. 24.

Denique & exempla hujus venerationis passim occurrunt. 2. *Sam. c.* 19. 28. *Dominus meus sicut Angelus Dei. c.* 14. 21. *Dominus meus sapiens est quasi sapientia angeli ad cognoscendum, quidquid fit in hac terra. Sic David Saulem etiam impium pro Christo Domini agnovit.* 1. *Samuel. c.* 24. 5. 6. 7. *c* 26. 9. *& Abisai Davidem.* 2. *Samuel. c.* 19. 21. 26. 27. *& Adonias.* 1. *Reg. c.* 2. 15. *& Israel. c.* 3. 28. *& alii* 2. *Sam. c.* 14. 21. 1. *Sam. c.* 25. 28. *& seqq.* Est enim ira & indignatio hujus, nuntius mortis. *Ecclesiastis c.* 16. 14. *c.* 19. 12. *c.* 20. 2. *Chron. c.* 24. 21. 22. *Daniel. c.* 2. 5. 12. *Actor. c.* 23. 3. 4. 5. *Exod. c.* 22. 28.

CAP. V.

De summa reverentia & veneratione, quæ gestu & sermone præstatur.

DE caussis summæ venerationis huc usque: sequitur ut videamus, quibus sermonibus & gestibus reverentialibus illa præstetur.

Ejusmodi igitur mores & conversatio in sermone consistens, est deprecatio pro salute summi magistratus facienda, 1. *Timoth. c.* 2. 2. *Pro regibus & quibus vis in eminentia constitutis, fiant deprecationes, preces, postulationes, & gratiarum actiones, ut tranquillam, & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate.* *Jerem. c.* 29. 7. *Denique quærite prosperitatẽ istius civitatis, quo deportavi vos: & orate pro ea Jehovam.nam in prosperitate ejus futura est vobis prosperitas. Baruch. c.* 1. 11. *Orate pro vita Nebucadnezaris Regis Babylonia, & pro vita Beltschatzaris filii ejus, & seq.* 12. 13 1. *Reg. c.* 1. 47. 48. *c.* 13. 7. 2. *Chron. c.* 22. 12. 1. *Sam. c.* 10. 24. 2. *Reg. c.* 11. 12. *Daniel. c.* 3. 9. *c.* 6. 6. 21. *& vota pro salute illius facienda. l. unic. C. de oblat. vot. l. si calvitur.* 233. §. 1. *de verb. sign. Senec. ad Polyb.* 31. *ejusmodi vota & deprecationes pro Rege describit, & Polybius in Panegyrico Trajani, & lib.* 10. *epist. ad Trajan. Alexad. ab Alex. lib.* 3. *c.* 22. *Gen. dier.*

Deinde semper de hisce Magistratibus & ubicunq; bene & honorifice loquendũ & judicandũ. Nihil.n fit vel dicitur, quod ipsos lateat, quodq; nõ ad ipsos deferatur. ideoq; lõgas ma-

nus &

nus & longas aures habere, hoc est, magnæ scientiæ & potentiæ esse dicuntur. *Ecclesiastis c.* 10. 17. *Nequidem in conscientia tua Regi maledicito, & in conclavibus cubilis tui, ne maledicito diviti. nam vel avis calorum perferret vocē illam, & ales indicaret verbum. Ratio sumitur ex vers.* 4. *& seqq. d. c.* 10. *& c.* 8. *Ecclesiastis* 2. *Sā. c.* 18. 13. *Aut si commisero ex memetipso falsitatē, cum nulla res possit à Rege celari, an tu stiturus es te ex adverso? Genes. c.* 44. 5. 15. *argum. Act. c.* 23. 4. 5. *Exod. c.* 22. 28. *Ecclesiastic. c.* 44. *& seqq.* 2. *Sam. c.* 16. 9.

Civile quoque est, honorificis cognominibus & titulis ab officio, vel aliis adjunctis, cohonestare Magistratus: cum etiam in Scriptura sæpius vocentur *benefici, ingenui, Dii, & ab aliis clementes, patres, magni, felices, caput & anima Reipub. de quibus supra dixi & in Sueton. in August. c.* 58. *&* 7. *Sen. lib.* 1. *De clement. c.* 14. *vid. Alex ab Alex. lib.* 2. *c.* 19. *Sic discipuli Christū non Jesum, sed* magistrū *vocabant &* dominū suum.

Huc etiam pertinet admonitio & cōsilium de utilitate, salute & commodo, vel incommodo & periculo futuro Magistratus, quam subditus facere tenetur, *Jerem. c.* 29. 7. *Quærite prosperitatem istius civitatis, &c. &* 2. *Reg. c.* 5. 13. *& seqq. ubi notabile exemplum extat, &* 2. *Samuel. c.* 17. 15. 16. 17. 18. *& seqq. c.* 21. 17. 18. *cap.* 18. 3. 4. 5. *c.* 15. *per tot. c.* 19. 6. 7. 8. 9. *Ephes. c.* 6. 5. 19. 20.

Huc quoq; benedictio, quę fit Magistratui à subditis inferiorib. 1. *Reg. c.* 1. 31. 47. 48. 2. *Sam. c.*

14. 23. *Daniel. c. 6. 22. c. 4. 19. 2. Reg. c.* 11. 12. 1. *Sam. cap.* 10. 24. *Genes.* 47. 7. 10. cum professione obedientiæ & servitutis debitæ, 1. *Reg. c.* 1. 17. *& seqq.* 2. *Sam. c.* 14. 6. 7. *& seqq. c.* 13. 32. *c.* 24. 21. 22. *Genes. c.* 44. 16. *& seqq.* 1. *Sam. cap.* 25. 24. *& seqq. & supra cap.* 11. ita ut humilitate & submissione suam indigetiam subditus declaret. *Ecclesiastic. c.* 7. 5. *Ne justitiam tibi adseras coram Domino, neq; coram Rege sapientiam. & c.* 10. 29. *Ne sapientem age in opere tuo faciendo, neq; gloriosum tempore angustia tua, & c.* 32. 6. 12. *Inter magnates, ne aequalem te prabeas. & c.* 13. 10. *& seqq. Ecclesiastis cap.* 9. 17. *& seqq. & Proverb. c.* 25. 6. *Ne arrogato tibi decorem coram Rege, & in loco magnatum ne stato.* 7. *Nam melius est tibi dici, Ascende huc, quam deprimi te coram ingenuo: quod vident oculi tui, & c.* 23. 1. 2. 3 *& seqq. & c.* 11. 2. Ex qua caussa humilis coram Magistratu non sibi sumet loquẽdi licentiam, non prius potestate dicendi impetrata, vel data, *Genes. c.* 44. 18. *c.* 18. 27. 30. 31. 32. 2. *Sam. c.* 14. 13. *c.* 20. 17. 18. *&* 1. *Sam. c.* 15. 16. *c.* 25. 24. *Actor. c.* 26. 1. 2. 3. *c.* 24. 10. *Job. c.* 29. 8. 9. *c.* 32. 6. 7. 16. 17. 22. 23. *& dixi sup. c.* 12.

Verborum & sermonis pronunciatione uti debet molli cum longanimitate. *Proverb. c.* 15. 15. *cujus rei exemplum extat Judic. c.* 8. 1. 2. 3. 4. 5. 1. *Sam. c.* 25. 23. *& seqq.* Ita adcommodata, ut iram & indignationẽ superioris Magistratus, sanet, mitiget, leniat: & affectus turbatos sedet.

Ec-

Eccles. c. 10. 1. *Cum spiritus ejus qui dominatur, se effert contra te, locum tuum ne deserito,* (*hoc est, uti Junius explicat, modestè te contineto, ne rebellato,*) *nam vir sanans, sedat peccata,* 2. *Est malum quod vidi sub sole secundum errorem, qui procedit à facie imperantis,* & *vers. seqq. ubi mala enumerat quæ aliàs ipsi subdito secus facienti sint eventura, ubi omnino vide Jun.* & *Coloss. c.* 4. 6. *Proverb. c.* 16. 14. *Nuncii excandescentia regis, sunt nuncii mortis; sed vir sapiens expiabit eam. Senec. Suasor.* 1. *Apud Reges ea quæ prosunt, suadenda sunt ita, ut delectent. Et ideo injuria eorum, etiam hilari vultu patienter ferendæ sunt, Seneca lib.* 2. *De ira, fol.* 34. *Ecclesiast. c.* 16. 14. *c.* 19. 12. *c.* 20. 2. 2 *Chron. c.* 24. 21. 22. *Daniel. c.* 2. 5. 12. *Rom. c.* 13. 7. 8. *Lips. lib.* 4. & *c.* 9. & ira Regis metuenda & declinanda, 1. *Sam. c.* 20. 1. & *c.* 25. 24. *Proverb. c.* 16. 14. *c.* 20. 2. & placanda, *Proverb. c.* 25. 15.

Gestus & habitus reverentialis hîc est, quo honor, obsequia & observantia, reverentia & veneratio erga Magistratum hunc summum, cum timore, amore, modestia, tempestive, cũ συμπαθεία & tolerantia præstatur. de quibus singulis ordine videbimus.

Cum timore obsequia, honorem & venerationem exhibere debemus. 1. *Pet. cap.* 2. 17. *Deum timete, Regem honorate,* 18. *Famuli, subditi estote cum omni timore dominis non solum bonis* & *æquis, sed etiam pravis.* 2. *Sam. c.* 11. 17. 18. & *seqq. Rom. c.* 13. 4. 7. *Ephes. c.* 6. 5 *Servi au-*

scultate iis qui vestri domini sunt secundum carnem, cum timore & tremore, cũ simplicitate cordis vestri, ut Christo, 7. cum benevolentia servientes, &c. Est enim ira & indignatio hujus nuntius mortis, *Ecclesiast. c. 16. 14. c. 19. 12. c. 20. 2. 2. Chron. c. 24. 21. 22. Dan. c. 2. 5. 12. Malach. c. 1. 6. Filius honorat patrem, & servus dominum suum. quod si pater, ubi honor meus? &, si dominus sum, ubi reverentia mei? 2. Chronic. c. 1. 12. 13. Rom. c. 13. 7. Est. c. 1. 3. 4. 5. & seqq.* cum amore, favore & benevolentia, *2. Sam. c. 15. 20. 21. & seqq. c. 19. 32. 33. c. 24. 20. & seqq. Colos. c. 3. 22. Ephes. c. 6 6. Tit. c. 2. 9. 10. Daniel. c. 6. 22. 2. Samuel. c. 14. 23. 1. Reg. c. 1. 47. 48.* quia minister Dei & pater subditorum suorum. Dixi etiam, cum modestia & submissione, *Ecclesiastis cap. 10. 1. 2. & seqq.* sine murmuratione, vel perturbatione, *Ecclesiastis c. 8. 1. 2. 3. Tit. c. 2. 9. 10. Ephes. c. 6. 6.* idque tempestive, ut nimirum rationem obsequendi, tempus modumq; observet, *Eccles. d. c. 8. 3. Ubicumq; verbum Regis est, ibi dominatio, ecquis dicat ei, quid facis? 4. qui observat praeceptum, non experitur rem malam: tempus enim ac rationem novit animus sapientis, (hoc est, ut Junius explicat, tum obsequendi, tum dissimulandi, tum ab obsequio desistendi,) 5. nam cuiq; voluntati, est tempus et ratio, sed malum hominis, multum incũbit ei, & seqq. ubi Jun. Facit huc ad Colos. c. 4. 6. Ecclesiastis c. 10. 1. 2. & seqq.* Cujus affectibus ita obsequia sua adcommodare debet, quo omnibus modis iram & indi-

indignationem superioris lenire, sedare, & affectus turbatos sanare possit: & quò à malo & peccatis superior revocetur, gratia ejusdem ineatur, conservetur, vel amissa recuperetur, *dicto cap. 10. ubi Junius. Cujus rei elegans extat exemplum in Abigaïl, quæ hoc modo animum Davidis iratum & commotum ad lenitatem traduxit, & ab homicidio & peccatis revocavit. vide 1. Samuel. cap. 25. per tot. & aliud in muliere Tecoensi, de qua 2. Samuel. c. 14. per tot. & aliud 2. Samuel. c. 20. 16. & seqq. & aliud Genes. c. 18. 23. & seqq. per tot.* Ratio hujus petenda *ex Rom. c. 15. 2. Itaque unusquisq; nostrûm placeat proximo in bonum, id est, ad ejus ædificationem.* Plures adfert Sapiens in *d. cap. 10. & c. 8. 4. 5. 6. 8. Proverb. cap. 16. 14. c. 19. 12. & quod charitas defectionem tegat & dissimulet. Proverb. c. 17. 9. 10. c. 10. 12.* Quam ob causam rectè tales politici & prudentes alibi commendantur, 1. *Chron. c. 12. 32. & è filiis Issacharis noscentes scitè tempora, ut noscerent Israelitæ quid sibi faciendum esset. Ester c. 1. 13.*

Cum συμπαθείᾳ honor debitus præstatur, quando lugente & dolēte superiore, subditus quoq; luget, vel contrà. 2. *Sam. cap. 19. 2. 3. 4. & seqq. c. 15. 14. 15. 16. 17. 18. & seqq. cap. 3. 31. & seqq. cap. 14. 16. 17. & seqq. 2. Pet. cap. 3. 8. Nam ira concitamur in eos qui aut nostro infortunio gaudent, aut saltem in rebus nostris adversis bono sunt animo. Hoc enim parvi facientis; illud, plane hostis est. Immo iis etiam*

irascimur, qui patienter audiunt mala nostra, aut qui nostrarum miseriarum spectatores esse possunt. illud enim oligoriæ; hoc, inimicitiæ indicium est.

Tolerantia denique magistratus sui nævos, lapsus & infirmitatem, errata & injurias, æquo animo ferre, & ab hosce defectus in officio faciendo nihil remittere debet, exemplo Davidis ferentis Saulis iniquitatem. 1. *Sam. c.* 26. 8. 9. 10. 11. *Roman. c.* 15. 1.2.3. *Coloss. c.* 3. 13. *Ephes. c.* 4. 2.32. 2. *Sam.* 4. 9 10.11 *c.* 1. 11. *& seqq. Senec. lib.* 2. *De ira*; cum impiis etiam magistratibus obedientia & honor debeatur, 1. *Petr. c.* 2. 18. *Jerem. c.* 29. 7. *c.* 27. 7. *& passim alibi.* Sed tamen ob hanc tolerantiam erranti obsequium non adcommodabit, aut non probanda probabit, ne aliena vitia & peccata sua faciat; licet etiam pœnas injustè illatas, æquo animo ferre debeat, donec remedium legitimum habeat, 1. *Petr. c.* 2. 19. *Hoc enim gratum est, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias inique afflictus;* 20. *Quæ enim laus est, si cum peccantes colaphis cædimini, toleratis? sed si cum benefacitis, tamen afflicti toleratis, hoc est gratum apud Deum, Genes. c.* 16. 6. 9.

Porrò hi gestus & habitus reverentiales consistunt in obsequio, vel operis. Obsequiū, est gestus & habitus, quo Magistratus amplitudo, dignitas & auctoritas, majestas & excellentia, existimatio, splendor & gloria atq; magnificentia agnoscitur & approbatur.

Obsequium ejusmodi exhibetur & præstatur

ſtatur Magiſtratui in aditu, veſtitu, obediētia, ſtudio & benevolentia ſubditi erga Magiſtratum, & civili adoratione.

In aditu inferior ſubditus, non niſi venia & poteſtate ſeu licentia impetrata, ſuperiorem accedat, vel in conſpectum ejus veniat. *Eſt. c.* 4. 11. *Omnes ſervi Regis ſciunt, quicunque vir, aut mulier ingreſſus fuerit ad Regem in atrium interius, qui non fuerit vocatus, unum eſſe jus de eo morte afficiendo, præterquam cui extēderit rex ſceptrum aureum, eum vivere. Ego vero non fui vocata, ut ingrederer ad Regem, & verſ.* 16. *& c.* 5. 2. *c.* 2. *in fin. Pet. Greg. de Repub. lib.* 22. *c.* 11. *Geneſ. c.* 41. 14. exceptis intimis conſiliariis & principibus, qui faciem Regis quotidie vident. *Eſt. c.* 1. 10. 14. *Septē principibus Perſidis & Mediæ videntibus faciem Regis, ſedentib. primis in regno. & c.* 8. 1. 2. *Heſra c.* 7. 14. ob quam cauſſam, ut nimirum non cuivis ad Magiſtratum aditus concedatur, Reges aliique ſummâ poteſtate prædıti principes, ſuos habēt miniſtros, famulos, ſatellites, perpetuò eoſdem comitantes, σωματοφύλακας, 1. *Regum, cap.* 1. 21. 22. *& ſeqq. c.* 10. 8. *Eſt. c.* 1. 13. 14. 1. *Sam. c.* 16. 17. *Luc. c.* 7. 6. 7. 8. 9. *Matth. c.* 8. 3. *& ſeqq. Daniel. c.* 14. 19. 20. *Exod. c.* 11. 8. *c.* 8. 3. 31. *c.* 7. 13. 23. *Jerem. c.* 22. 5. 6. *c.* 34. 19. 2. *Sam.* 1. *c.* 8. *in fin. ubi Pet. Martyr. c.* 19. 33. *& ſeqq. c.* 12. 17. 18. 19. 20. 21. *c.* 15. 14. 16. *& ſeqq. c.* 9. 4. *ubi Jun.* quales officiarii numerantur 1. *Chronic. c.* 27. *& c.* 28. *&* 2. *Chro. c.* 17. 14. Nam quia ejusmo-

S

di Magistratus, multis periculis & insidiis sunt expositi, ideo expedit, imò necessarium est, ut ad sui defensionem & corporis custodiam, habeant ministros, non quosvis promiscuè ad eos admittentes, *vid. Pet. Gregor. lib. 22. c. 11. de Republ. ubi exemplis & historiis hoc illustrat.* Hisce præfectus, apud Romanos vocabatur præfectus prætorio, *l. 8. C. de off. rect. provinc. tot. tit. C. de præpos. sacri cubiculi: et de omnib. cubicularis, & priv. eorum. lib. 12. tit. 5. & tit. C. de silentiariis, lib. 12. tit. 16. C. de castrensianis & ministerianis lib.* 12. Præpositus admissionalis & magister admissionum, qui aditum impetrabat & introducebat, & qui solus ad superiorem seu Regem aditum liberum habet. *Dan. c. 2. 49. Daniel vero praerat porta Regis, ubi Jun. notat.* Apud Romanos quoq; valentissimi servi catenis religati, pro ostio aditum custodiebant, ne non vocati admitterentur. Sæpè etiam interiores aulici scrutabantur & sinum accedentium pertentabant, ne quis cum telo esset. *Alex. ab Alexand. lib. 5. Genial. dier. c. 24.* Tales januæ custodes habebant potestatem aperiendi & claudendi, homines intromittendi & educendi; canes, fures, mendicos, abigendi, & *liminarchæ* dicebantur. *vid. Æl. Lamprid. in vita Sever. Imperat. & Sueton. in Vespasian.* Apud Romanos quoque non modica laus erat, plurimos habere clientes, catervas togatorum, imo & tenuiores amicos, à quibus observarentur quotidie & colerentur, cumq; his

ad

ad forum deducerentur, frequenti comitatu. Nam maximi decoris erat, amplos viros illustresque etiam ab infima plebe, quotidie salutari, expeti, deduci, reduci, consuli, eisque decedi & adsurgi. *vid. Alexand. ab Alex. lib. 5. Genial. dier. c. 24.*

Admissus autem in superioris Principis cōspectum, indutus sit vestibus elegantibus, non sordidis, incultis, vel luctuosis, *de qua re extant exempla Genes. cap. 41. 14. Mittens itaque Pharao accersivit Josephum, qui celeriter eductus est ex illa fovea, postea quam abrasisset caput, & mutasset vestes suas, venit ad Pharaonem, Luc. cap 7. 25. Ecce, qui vestitu magnifico utuntur, sunt in palatiis regum. Ester cap. 4. 2. Non enim erat ingrediendum in portam Regis cum indumento cilicii, 4. & seqq. Genes. c. 50. 4. ubi Jun. vid. Daniel. cap. 1. 4. 5. & seqq.* Convenit etiam, ut inferior Principem ob dignitatē ejusdem per epistolam adeat; ut vult Durus de Pascolo. Vel per alium, cum quo Principi major est conversatio, exponat.

Audire autem loquentem superiorem magistratū debet stans. *Num. c. 23. 22. ubi Junius, Genes. cap. 49. 33. Judic. c. 3. 20. 2. Chronic. cap. 34. 31. 2. Reg. c. 47. Nehem. c. 8. 6. 1. Reg. cap. 1. 28.* Est enim famulantium & inservientium proprium, stare: & superiorum digniorum sedere, *1. Sam. c. 26. 15. 1. Reg. c. 19. 8. Beati homines tui, beati servi tui isti, qui stantes corā te, jugiter audiunt sapientiā tuā. Deut. c. 10. 8. Tempore*

illo separavit Jehova tribũ Leviticam ad portandum arcam fœderis Jehova, ad standum coram Jehova, ut ministraret ipsi, 1. *Sam. c.*22. 6.7. *Act. c.* 23.1.2.3.4.5. *Tu sedens judicas me, &c. tunc qui adstabant dixerunt, & Exod. c.* 18, 14. 15. *& seqq.*

Obedientia est quæ æquis superioris imperantis mandatis est præstanda exacté, & ad amussim, ut neque ei addatur neq; detrahatur quid, *Romanor. cap.*13. *v.* 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto. Non enim est potestas nisi à Deo. & quæ sunt potestates, à Deo sunt ordinata, & vers.* 2. *Itaque quisquis se opponit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi condemnationem auferent, & vers. seq. Tit. c.* 3. 1. *Suggere ipsis, ut sese subiiciant principatibus ac potestatibus, ut obtemperent, &c.* 1. *Coloss. c.* 3. 23. 1. *Timoth. c.* 2.2. 1. *Pet. c.*2. 13. 14. *Exod. c.* 22. 28. 1. *Chron. c.* 30. 23. *& seqq. Obedientiæ exempla vide Genes. cap.* 24. 2.3. 10. 11. 12. 33. *c.* 16. 6. 9. 2. *Sam. c.* 15. 13 14. 1. *Sam. c.* 11. 14. 15. *c.* 14. 24. *c.*16. 17. 18. 1. *Reg. c.* 2. 15. 2. *Reg. c.* 10. 25. *Ecclesiast. c.* 8. 1. 2. 3. *Jerem. c.*29. 7. *& c.*38. *Daniel. c.* 3. *c.* 6. *& passim alibi.* quæ obedientia etiam impio & scelerato Magistratui præstanda, etiam in pœnis injusté inflictis perferendis, 1. *Pet. c.* 2. 18.19. *Jerem. c.*29. 7. *c.* 27. 7. *c.* 38. *arg. Matth. c.* 23. 2. *In cathedra Mosis sedent Scribæ & Pharisæi*, 3. *omnia ergo, quæ dixerint vobis ut servetis, servate & facite; sed secundum opera eorum ne facite*, 1. *Sam. c.* 15. *v.* 26. 9. *c.* 24. 7, 8. 13, 14. *c.* 31. 11. *c.* 36. 9. *Actor.*

c. 25. 5. 2. *Sam. c.* 4. 9. 10. 11. *c.* 1. 11. *& seqq.* Neque enim scelerata Magistratus vita privata regiam dignitatem illis abrogat. *Sam. c.* 15. 31. *Ester c.* 1. 11. 12. *atque* hanc obedientiam subditi suo magistratui in principio sui imperii spondere solent. *Jos. c.* 1. 16. 17. 18. 2. *Chron. c.* 23. 16. *c.* 34. 31. 32.

Studium & benevolentia subditi erga magistratum consistit primo in defendenda, amplificanda, excellentia, atque authoritate Magistratus; & cura, ne illa contemnatur, vel vilescat. 2. *Sam. c.* 16. 7. 8. 9. *Tum dicente Abischajo filio Tzeruja regi, quare malediceret canis iste mortuus domino meo regi? Transeam quaso, ut auferam caput ejus.* 1. *Sam. c.* 11. 12. *Tū dixit populus Samueli, Quis est qui dicebat, Saul ne regnaret super nos? date istos homines ut morti tradamus eos. Act. c.* 23. 4. 5. *Judic. c.* 1. 8. *Exemplum extat* 1. *Sam. c.* 10. 26. 27. *c.* 11. 12. 13. 2. *Sam. c.* 15. 35. 36. *c.* 19. 29. 30. 31. 32. 33. *& vers.* 7. 8. *Petr. Gregor. lib.* 8. *c.* 4. *de Repub.*

Secundo consistit etiam in prosperitate, salute & commodo Magistratus promovendo & quærendo. *Jerem. c.* 9. 7. *Baruch. c.* 1. 11. 12. 2. *Reg. c.* 5. 13. 14. *& seqq.* 2. *Sam. c.* 17. 15 *& seqq. c.* 21. 17. 18. *c.* 18. 3. 4. 5. *c.* 19. 6. 7. 8. 9. *c.* 15. 27. 28. *& seqq. c.* 16. ita ut salutem & commodū Magistratus proprio anteponat. 2. *Sam. c.* 19. 31. *Dixit vero Mephiboseth Regi, vel omnia accipiat, postquā venit Dominus meus rex, cū pace domum suam, c.* 15. 21. *Respondens vere Ithai re-*

gi dixit, ut vivit Jehova & vivit Dominus meus Rex, tantum modo in loco ubi erit Dominus meus rex, sive ad mortem sive ad vitam, ibi futurus est servus tuus. & 1. Sam. c. 16. 15. 16. 17. 2. Sam. c. 18. 3. 4 c. 21. 17. 2 Sam. c. 2. 24. 20. & seqq. c. 1. 14. 16. Genes. c. 45. 9. 10. 11. & sustentabo te ibi, ne paupertate consumaris tu & familia tua, & omnia quæ sunt tibi: & 1. Chronic. c. 12. 39. Hi fuerunt cum Davide tribus diebus, comedentes & bibentes, quia praeparaverat eis fratres eorum. 40. Atque etiam propinqui ipsorum ab Issachare & Zebulone & Napthali, advehebant panes asinis, camelis & mulis & bobus, cibum, farinam, palathas & uvas passas, vinumque & oleum, boves, pecudesque copiose. arg. Roman. c. 16. 4. Qui pro anima mea suam ipsorum cervicem supposuerunt. Galat. c. 4. 15. Testimonium enim reddo vobis, vos si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.

Tertio in eo quoq;, ut affectib. Magistratus studia & actiones suas ita adcommodet, quo illi turbati sanentur, & a malo & peccatis revocentur, gratia ejusdem ineatur, conservetur, vel amissa recuperetur. *Ecclesiastis cap. 10. 1. 2. 3. & seqq. ubi eleganter docet Junius. & c. 8. 1. 2. 3. & seqq. Exemplum ejus extat 1. Sam. c. 25. 2. Sam. cap. 20. 16. & seqq. Genes. c. 18. 23. & seqq. quô pertinet etiam generale id praeceptum Galat. cap. 6. 1. Fratres etiamsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, vos spirituales, instaurate hujusmodi hominem cum spiritu mansuetudinis,*

dinis, &c. & Colos. c. 4. 6. quod infirmitatis Magistratus æquo animo sint ferenda. 1. *Pet. cap.* 2. 17, 18. 19. *Roman. cap.* 15. 1. 2. 3. *Colos. cap.* 3. 13. *Ephes. c.* 4. 2. 32. *Exemplo Davidis.* 1. *Sam. cap.* 24. 9. 10. 11. *cap.* 26. 9. 10. 2. *Sam. c.* 4. 9. 10. 11. *cap.* 1. 11. *& seqq.*

Convenit igitur commotum & vociferantem Magiſtratum ſilentio, ſilentem vero & triſtem alloquio excipere.

Quarto, conſiſtit hæc benevolentia in muneris oblatione, cujus rei exempla extant 1. *Sam. c.* 10. 27. 2. *Chron. c.* 17. 5. *c.* 12. 39. 40. *c.* 26. 8. *cap.* 27. 5. 1. *Reg. cap.* 10. 10. 25. 2. *Samuel. cap.* 16. 1. 2. 3. *cap.* 19. 33. *c.* 17. 27. 28. 29. *Judic. cap.* 4. 15. 16. 17. *Senec. lib.* 2. *epist. c.* 17. *l. unic. C. de oblat. vot. lib.* 12. *ubi Dd.*

Quinto, apud Romanos etiam feriæ in honorem principis conſtitutæ, celebrabantur, *l.* 7. *C. de fer. Liv. lib.* 1. *&* 2. *&* 5. *&* 7. *&* 33. *&* 38. Statuę quoque & imagines in memoriam poſteritatis & reverentiam Principis honorificam erigebantur; *Alex ab Alexand. lib.* 3. *Gen. dier. c.* 7. *Sueton. in Tiberio. c.* 26. *l.* 1. *l.* 2. *C. de stat. & imag. l.* 2. *C. de loc. public. l.* 6. *toties.* §. *ult. de pollicitat. l.* 5. *& seqq. ad l. Jul. majest. l.* 28. *capitalium,* §. 7. *ad statuas. de pœn. l.* 1. *C. de his qui ad stat. Dion lib.* 54. *&* 57. *Senec. ad Polyb.* Ludi quoque in ejusdem honorem exhibebãtur & ſpectacula, comœdiæ & Tragœdiæ, item gymnaſtica palæſtræ certamina virtutis exercendæ cauſſa: ſimiliter ludi theatra-

les, circenses, equestres, scenici, & id genus alii, *de quibus Pet. Gregor. lib. 39. Syntag. c. 5. Isidor. lib. 18. c. 23. & seqq. Senec. lib. 10. epist. 71. & lib. 1. epist. 7. Sueton. in Claudio, c. 34. c. 21. in Tito c. 8. in Domitian. c. 10. in Neron. cap. 12. in Galba c. 6. Alex. ab Alex. lib. 3. Gen. dier. c. 7. et dixi latius libr. 1. Dicaeologica, cap. de alien. invalida.*

Sexto studium hoc, benevolentia, favor & amor erga Magistratum declaratur, quando calamitatibus & necessitati ipsius subditus succurrit & cum συμπαθείᾳ sibi applicat, atque in persona sui magistratus ipse patitur. *Cujus exempla extant 2. Sam. c. 17. 27. 28. 29. c. 19. per tot. c. 15. 21. & seqq. 1. Chron. c. 13. per tot. 2. Sam. c. 19. 31. c. 15. 21. c. 24. 20. & seqq.*

Civilis adoratio Magistratus est, qua verticis & corporis terram versus inclinatione & incurvatione nos ejusdem imperio ac potestati humiliter submittimus, eumque dominum nostrum & nos servos agnoscimus & profitemur; quod etiam á sanctis viris & personis observatum & factum legimus, *2. Samuel. c. 14. 5. 6. & seqq. c. 15. 5. 6. c. 9. 6. 10. 11. 12. c. 18. 28. c. 19. 19. c. 24. 20. 21. 22. c. 1. 2. c. 14. 23. c. 16. 4. 1. Reg. c. 1. 16. 23. 24. 25. 31. 53. 2. Reg. c. 2. 15. 1. Sam. c. 24. 9. & seqq. c. 23. 24. 25. Est. c. 10. 3. c. 3. 2. c. 7. 3. Genes. c. 23. 12. c. 42. 6. c. 43. 26. 28. c. 44. 14. 15. c. 50. 18. Num. c. 22. 31. vid. Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2. c. 19. l. 4. sancimus. ibi, adoranda nostra purpura. C. de consulib. & non sparg.*

libr.

ſtib. 12. *l.* 1. *C. de apparitorib. præfect. prætor. libr.* 12. *l.* 1. *C. de apparitor. præfect. urb. l.* 1. *C. de præpoſ. ſacri cubic. & paſſ. alibi dixi in Dicæolog. lib.* 1. *c.* 36. cui incurvationi accedit exoſculatio, quæ & olim in ſignum ſubjectionis fiebat. 1. *Sam. c.* 10. 1. *Geneſ. c.* 48. 40. *ubi Jun.* 1. *Reg. c.* 21. 22. 18. 19. *Hoſ. c.* 13. *Pſalm.* 2. 12. *l.* 1. *ubi Gothofred. C. de domeſt. & protect. lib.* 12. *de cujus oſculi ſignificatione etiam alia quadã ſupra dixi.*

Actionis ſeu geſtus conſiſtentes in operis inferioris ſubditi, ſunt ſervitia & miniſteria corporalia & officia quævis, pro magiſtratus defenſione & protectione, ſalute & incolumitate, præſtanda prompto & ſummiſſo animo. 2. *Sam. c.* 26. 14. 15. 16. & *c.* 15. 21. 22. *c.* 17. 27. 28. 29. *c.* 19. *per tot.* quô pertinent omnia illa commoda, quæ ſubditi ſuo magiſtratui præſtant, ad onera imperii ferenda & ſumptus neceſſarios & utiles Reipub. & Imperii cauſsâ faciendos, nec non ad compenſationem & prꝫmium immenſi laboris, item ad majeſtatem & dignitatem imperii ſui conſervandam, *ad Rom. c.* 13. 1. *Sam. c.* 8. *Nehem. c.* 9. 37. *c.* 4. 13. 14. 15. uti ſunt muneris injuncti à ſuperiore ſuſceptio, præſtatio tributorum, indictionum, vectigalium, canonis injuncti ſtipendii, cenſus, angariorũ & parangariorum, collectarum, contributionum extraordinariarum, capitationum. *De quibus* 1. *Chron. c.* 7. 5. 9. 40. *Num. c.* 3. 47. 44. & *ſeqq.* 2. *Chron. c.* 24. 2. *Reg. c.* 12. *cap.* 15. 20. *Exod. c.* 30. 1. *Reg. c.* 9. *c.* 10. 14. & *paſſim alibi in*

locis plurib. jura civilia latissime tradunt in tot. libr. 10. 11. & 12. Codicis, & dixi libr. 1. Dicaeologicae, c. 40. & seqq. quæ officia omnia magistratus necessitate & utilitate Reip. postulante à suis subditis exigere potest, & hi etiã præstare coguntur. *Pet. Greg. lib. 9. c. 1. de Rep. & lib. 7. c. 20. per 1. Sam. c. 8. 2. Sam. c. 17. 27. 28. 29. c. 16. c. 19. 33. & Nehem. c. 9. 37. & dixi d. lib. 1. c. 36.*

Observandum hîc conversanti in aulis, plenas eas esse fallacibus amicis, occultisque insidiis, quæ latent in simulatione officii, aut aliquo necessitudinis vinculo. Imo sub quovis lapide scorpionem latere existimandum est. In aulis in occulto stat invidia & avaritia: in aperto verò, adulatio & ambitio.

CAP. VI.

De officio communi in sermone & gestu digniorum & excellentiorum erga populares & inferiores.

HActenus de officio popularium, tenuiorum, aut inferiorũ erga superiores, digniores & excellentiores. Sequitur nunc de officio horum erga populares inferiores.

Officium ergo superiorum & excellentiorũ erga inferiores populares est, quod mores reverentiales præstantibus, illi sermone & gestu exhibere tenentur in civili conversatione. Hoc *Senec. lib. 1. De clem. c. 2. paucis comprehendit, dum ait*, Principem se talẽ civibus, quãtum potest, exhibeat, qualem sibi Deum esse velit.

Est

Est autem hoc officium duplex: unum, commune omnibus superioribus & excellentioribus: alterũ quibusdã peculiare & singulare.

Commune officium consistit in faciendis & omittendis.

Facienda quæ sunt, consistunt in usu legitimo morum reverentialium, & in defensione dignitatis & status.

Usus ejusmodi rursum consistit in obsequiorum susceptione & conversationẽ dignioris & excellentioris.

Susceptio talis comparata esse debet ita, ut primo obsequia, reverentiam & honores congruentes sibi delatos & præstitos, superior, dignior, excellentior benignè & humaniter sermone & gestu decentib. excipiat, nõ rigidè vel acerbè exigit, vel ad amussim requirit. Et cogitet Deum, nõ homines in bonis operibus esse glorificandum, ut videntes nostra opera bona homines Patrem Deum nostrum glorificent. Deinde non plus honoris exigat quam sua merita & virtutes postulent. Tertio, honores non extorqueat, *ut Abimelechus Judic. c. 9. ut ibid. notat Martyr. vid. tit. ad l. Jul. de ambit.* Ex hoc enim intelligunt inferiores populares, se non serviliter tractari & se digniori & honorato acceptos & gratos esse.

Deinde, id quod benevolentiæ caussâ & officiose præstatur ab alio, rejicere & aversari, vel placidè alios non intueri, est hominis barbari. Et qui gratè beneficium obla-

tum accipit, primam ejus pensionem solvere dicitur, ut *ait Senec. lib. 2. c. 22. De benefic.* Denique hoc ipsum facit ad authoritatem status sui conservandam, uti Quintus Fabius Maximus filio suo consuli sibi imperanti ut equo descenderet, respondit, *vid. Valerium Maximum lib. 2. c. 2.*

Ad amussim non exigit tum, quando si aliquid ab inferiori offensum, vel si quid repertũ in natura, vel moribus forté sit vitii, æquo animo tolerat. Si quid in quotidiano ministerio & obsequiis minus apté, minusq; elegãter ceciderit, aut in rebus mandatis gerendis nõ exquisitam quandam solertiam, industriam, diligentiam, celeritatem, præstiterint tenues, non continuò excandescit, sed dissimulat. *arg. Roman. c.* 15. 1. 2. 3. *Coloss. c. 3.* 13. *Prov. c.* 17. 9. 10. *Ephes. c. 4. 2.* 32. vel cum lenitate & mansuetudine corrigit, *Galat. c. 6. 1.* 1. *Thess. c.* 5. 14. *Senec. De quat. virtut. In reddenda, inquit, officiositate, neq; negligens, neq; exactor appareas.*

Conversatio honoratorum cum honorantibus inferioribus popularibus talis esse debet, qualis benevolentiam & amorem illorum cõciliare possit. Nam ut *ait Seneca libr. 1. De clement. c. 1. unum inexpugnabile munimentum, amor civium. Qui autem amari volet, prius amet ipse necesse est. Amat vero, qui Dei minister est ad commodum subditorum, vel popularium, Rom. c.* 13. 4. *Jerem. c. 49.* 23.

Temperata autem & cõdita debet esse hęc con-

conversatio honoratorum cum popularibus, gravitate & justitia, quibus pro dignitatis conditione & personæ vilioris qualitate, illa conversatio temperatur. Nam neq; par est omniũ superiorum præstantia, neq; par & eadem omnium popularium tenuitas & vilitas. Variantur etiam obsequia & officia personis, temporibus, ætate, rerum natura, locorum consuetudine, & aliis rebus pluribus.

Gravitas constat requisitis quinque. Primum est, ut parca & rara dignioris & honoratioris sit conversatio cum inferiore populari & viliori. Quæ enim incognita habemus & intacta, ea majora plerunq; animo nobis fingimus, vel esse suspicamur; juxta Apologum de vulpecula, quæ primò, secundò & tertiò Leonem viderat. *l. 19. observandum. De offic. præsid. l. 1. De postuland. l. 9. nec. §. 2. de offic. proconsul.* Deinde, in conversatione hac modus servetur, quo nimirum arcana, intima, ardua, aliaq; ad personã dignioris honorati pertinentia, & imprimis arcana, lapsus, infirmitates & alia quæ ad minuendam & extenuandam ejusdem dignitatem faciunt, aut scandalum pârere possunt, tegantur & celentur.

Secundum gravitatis requisitum est, ut rigidè & severé conversationem suam honoratior dirigat & conformet ad honestatis, pietatis, justitiæ, aliarumq; virtutum exercitium. *Actor. c. 24. 14. 15. 16. Matth. c. 5. 16. Splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant ve-*

stra bona opera & glorificent patrem vestrũ qui est in cœlis. Et statu conditioneque sua digne secundum communis Ethicæ præcepta vivat. *Galat. c. 6. 4. Ephes. c. 4. Precor vos ut incedatis ita, ut dignum est vocatione, qua vocati estis, & seqq. 2. Corinth. c. 6. 3. Philip. cap. 3. 17. 2. Pet. c. 3. 7. & seqq. Tit. c. 2. 7. Per omnia teipsum præbens exemplar bonorum operum, in doctrina integritatem, gravitatem. & vers. 2.* Ut *senes sobrii sint, venerandi, temperantes, sani fide, charitate, tolerantia. 3. Anus itidem ut habitu sint qui sanctimoniam deceat, &c. 1. Pet. cap. 4. 10.* Ut *quisque accepit donum, ita alius in alium illud subministrantes, ut boni dispensatores variæ Dei gratiæ, & seqq. 1. Timoth. cap. 4. 12. Nemo tuam juventutem despiciat, sed esto exemplar fidelium in sermone, in conversatione, &c. Galat. cap. 6. 3.*

Tertium requisitum est, ut omnem humiliorum, popularium, tenuiorum levitatem, stultitiam, excessus, defectus, errata & delicta, cum lenitate corrigat, emendet, & omnes nævos, quantum fieri potest, tollat tanquam fidelis & vigilans morum inspector, qui etiam solo nutu aliquo gravi delinquentibus & errantibus pudorem incutere possit & cum authoritate monere. *Marc. cap. 1. 22. Tit. cap. 2. 15. Hæc loquere, exhortare & argue cum omni imperio, nemo te despiciat. Matth. cap. 7. 29. Docebat enim eos ut habens authoritatem, nõ autem ut Scribæ, Luc. c. 4. 31.* Huic admonitioni, vel

repre-

reprehensioni utile est addere spem honoris & metum pœnæ; quæ duo sunt elementa virtutis; illa ad virtutes stimulat; hic, a vitiis avocat. sic itaque alternis vicibus increpationes & collaudationes usurpandæ & adhibendæ, ut cum exultant animi, reprehensionibus ad pudorem redigantur: Et cum dejecti sunt, rursum laudibus erigantur. Nimiis laudibus inflare eos & ad superbiam extollere, non decet. unde luxuria & vanitas. *Plutarch. de lib. educat.*

Atque hæc potestas & cura objurgādi, monendi & corrigendi, digniori & honoratiori incumbit. *Job. cap.* 32. *6. 7. Minimus sum ætate, vos autem decrepiti. Idcirco veritus sum ac timui ostendere sententiam meam vobis. Dicebam, provecti ætate loquentur, & annosi notam faciunt sapientiam, &c. & vers. 16.* 17. *c.* 29. 21. 22. 2. *Pet. c.* 1. 13. *Justum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per commonefactionem. &* 2. *Timoth. cap.* 4. 2. *Tit. cap.* 2. 2. 3. *& seqq.* 1. *Timoth. cap. 5. cap.6.* 1. *Thessal. cap. 5.14. c.* 4. 18. *Act. c. 3.* 12. *c. 7.* 51. *cap. 8. 26. c. 13. 10.* Et sic majores natu, minorum curam habere jubentur: & monere, ut fugiant juveniles cupiditates & rectum invita cursum teneant. *Vide Num. cap.* 8. *26. Genes. cap.* 4. 7. 9. *cap.* 27. 31. 39. 42. *Ruth. cap. 3.* 1. 5. *Exod. c.* 18. *17.* 19. *24. Tit. cap. 2. c.* 3. 1. *Timoth. cap. 5. c. 3. Proverb. c.* 23. 13. 14. 1. *Pet. c.* 5. *5. Similiter juniores subjecti estote senioribus; & omnes vicis-*

sim subjicimini. Levit. c. 19. 17. Ne odio habeto fratrem tuum in corde tuo, libere corripito proximum tuum, neq; ferto in eo peccatum. Hebr. c. 10. 24. Et observemus alii alios, ut nos acuamus ad charitatem & bona opera. 1. Thess. c. 5. 14. Hinc censura & judicia seniorum, quæ apud Judæos erant. *Num. c.* 11. *16. & seqq. Deut. c.* 21. 2. *c.* 13. *9.* Hinc seniores patres & juniores filii sæpè appellantur, *1. Timoth. c. 5.* 1. 2. 3. 4. *c.* 1. *18. & 1. Corinth. c.* 14. 15. *c.* 4. 14. *Joh. c.* 19. *26. 27. c. 6. 58. 1. Joh. c.* 2. 2. *Reg. c.* 13. 14. *c.* 2. 12. *Tit. c.* 2. *2. 3.* 4. Inprimis vero hæc monendi cura & morum inspectio pertinet ad Præceptorem, Rectorem, Doctorem, Pastorem, patrem & dominum, quorum disciplinæ & institutioni alii sunt commissi, quorum pigritia excitanda, vagiq; ætatis impetus reprimendi, *Tit. c. 1. 9. & seqq. c.* 2. 2. 3. *& seqq.* 2. *Timoth. c. 4. Num. c.* 8. *26. 1. Cor. c.* 4. 19. *& seqq. Proverb. c. 13. 24. c. 22. 15. c. 23. 13. c. 19.* 18. *Hebr. c.* 12. 7. *Menoch. libr. 2. arb. jud. quæst. cas.* 364. *Ruth. c. 3.* 1, *2. 3. tot. tit. C. de emendat. propinq. Eccles. c.* 10. 1. Judex sapiens erudit populum suum.

Quartum requisitum est, ut dignior & honoratior opinioni de se conceptæ, congruenter loquatur & agat; nec seipsum nimium dejiciat & submittat, neq; ultra modum efferat, vel faciat quæ non decent statum & conditionem suam, *vid. quæ sup. dixi cap.* 3. *De* περιαυτολογία. In sermone utatur voce tardâ, in incessu gradu lento; in quibus gravitas quædam. Nam

ut

ut *rectè Seneca in epistol. dicit*, Sapienti viro incessus modestior cōvenit, & oratio pressa, non audax, ubi enim loquentiæ multum, ibi sapientiæ parum. *Decorus est sermo senis, quietus & remissus, facitq; persape sibi audientiam diserti senis compta oratio & mitis. Cato major. Idem Cicero cum Piso gener ejus mollius incederet, filia autem concitatius, ait genero*, Ambula tāquam fęmina: *& filiæ*, ambula tamquam vir.

Quintum gravitatis requisitum est in defendenda bona fama, existimatione, dignitate & statu suo; quod in tribus potissimum consistit. Primò, in assertione illius contra lædentes, auferentes, vel minuentes existimationē, integritatem & famam honestam. Secundò, in vita integra atque omni turpitudine carente. Tertiò, in vestitu eleganti & decenti.

Defensio existimationis, dignitatis, authoritatis & integritatis ideo licita & civilis est, ut reprimantur injuriæ, in gratiam ejus qui eas facit ut peccare se agnoscat, & desinat, *argum. Galat. c. 6. 1. 2. 3. Proverb. c. 26. 5. 6.* Deinde, in aliorum gratiam qui impetuntur. Et deniq;, nostrâ causâ, ne authoritatem nostram quæ Reipub. vel ecclesiæ utilis esse potest, amittamus, & magistratus superior, vel ipse Deus, quorum negotia gerimus & administramus, & vices sustinemus, per nos contemnatur, nisi fortè defensione tua injurians deterior fieret, & majus malum secuturum esset. *arg. 2. Reg. c. 18. 36.* vel quando sentis, te commotum & in

defendendo fines excessurum. *Proverb. c.26. 4.* Itaque quando aliter non possumus, injuria ferenda & mussitanda est, 1. *Petri c.2.16. & seqq. 2. Samuel. c.16. 5. 6. 9. 10.* 11. *Matth. c. 5.39. 40. Petr. Martyr in d. c. 16. 2. Samuel.* Exempla factæ hujus defensionis, authoritatis, existimationis, passim in sacris literis videre licet. Sic .n. Samuel existimationem suam vindicasse legitur, 1. *Samuel c.* 12.3.4. *& seqq.* Sic Christus suam innocentiam & integritatem contra improbos & diffamantes asseruit. *Johan. cap.8. 46.* 47. *& seqq. cap.* 18.22. 23.24. Sic Paulus quoque, ut patet 1.*Thessalon. cap.* 2. *Actorum cap.28.17.18.cap.* 22. 25. *& seqq. cap.26.25.26.cap.23.3.6.* 7.10. *& seqq. cap.* 25. 7. *& seqq.* Sic & plures alii sancti homines. *Actor. cap.* 2.15.*16.c.7.*2.8. *& Genes. cap.31.* 36. *& seqq. Num. cap.16.* 28. *& seqq. Matth. c.* 22. *6.7.8.* 1.*Sam. c.1.14* 15,16.17. *& c.*24. 9. 10.11. 1. *Reg. c.18.*18. *19.20. Jerem. c.* 37. *13. Jos. cap.* 22. 21. *& seqq. 2. Sam. c. 16. ubi Petr. Martyr.* Huic defensioni adfinis, vel potius ejus species est, suspicionis malæ de se conceptæ purgatio & innocentiæ probatio, *cujus exempla vid. Jos. c. 22.22. 1. Sam. c.* 1. 14. *& cap.* 12. 3. 1. *Reg. c.* 18. 17. *Jerem. c. 37,12. Actor. c. 2.14. c. 6.14.c.7. 2.c.28,17.*

Secundo omnino etiam ad existimationem & famam bonã necessaria est vita integra, honesta & pia. *Tit. c. 2. 7. Per omnia te ipsum prabens exemplar bonorum operum, in doctrina integrita-*

grita-

gritatem, gravitatem, 15. *Nemo te despiciat*, 1. *Timoth. c.* 4. 12. *Nemo juventutem tuam despiciat, sed esto exemplar fidelium in sermone, conversatione, &c.* 1. *Timoth. c.* 3. 7. *Oportet eum etiam bonum habere testimonium ab extraneis, ne in probrum incidat. Philip. c.* 4 8. *Quod reliquum est, fratres, quæcunq; sunt vera, quæcunq; veneranda, quæcunq; justa, quæcunq; pura, quæcunq; amabilia, quæcunque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hæc cogitate. quæ fama & existimatio omnibus divitiis melior. Prov. c.* 22. 1. *Eccles. c.* 7. 2. *c.* 41. 15. 16. *c.* 44. 8. *& seqq Psal.* 112. 4. 5. *& seqq. vide quæ supra cap.* 13. *in commendatione virtutis dixi & allegavi.* Ergo bona fama, opinio & existimatio & authoritas studio virtutis & rectè factis conservatur, fovetur continuatur & propagatur, 1. *Timoth. cap.* 4. 12. 1. *Macchab. c.* 13. 3. *& seqq. c.* 16. 1. 2. 3. *& seqq. Job c.* 29. 8. *Eccles. c.* 32. 12. *& seqq. Matth. c.* 23. 13. 14. *Tiraquel. De nobilit. c.* 37. *num.* 40. *& seqq.*

Tertio, vestitus honoratorum, excellentiorumq; hominum sit nec exquisitus, neq; sordidus, sed elegans & decorus, statui & conditioni quam profitentur, respondens. *De quo vid. Tiraquell. De legib. connubial. lege* 3. *& de nobilit. cap.* 20. *num.* 143. *& seqq. Ordinat. Imper. de anno* 38. 77. *Petrum Gregor. libr.* 9. *Syntagm. c.* 19. *& licet videre exempla Daniel. cap.* 5. 7. 29. *Ester cap.* 6. 6. *& seqq. Genes. cap.* 41. 40. 41. *& seqq.* 2. *Samuel. cap.* 13. 18. *ubi Martyr. Jacob. c.* 2. 1. 2. 3. *& seqq.* 1. *Macchab. c.* 10. 20.

21. 22. 64. 65. 66. 68. *c.* 11. 58. *cap.* 14. 43. 44. *Marc. c.* 12. 38. *Matth. c.* 22. 11. *c.* 11. 8. *Luc. c.* 7. 25. 26. *tit. C. De vestib. holoseric. Isidor. lib.* 19. *Etymol. c.* 21. *& seqq. Exod. cap.* 28. *Num. c.* 27. 29. *& seqq. & Baysium de re vestiaria, c.* 9. *Petr. Gregor. lib.* 9. *Syntag. c.* 19.

Erogationes honestæ & sumptus atq; liberalitas, nõnunquam etiam honoratiorem decet, pro ratione facultatum & conditionis & status sui. *l.* 4. *ubi pupill. educ. l.* 12. *cum plures*, §. 2. *De adm. tut.* Vetus mos fuit, ut pro introitu, seu ingressu dignitatis & officii eiusdem collegii sociis & collegis aliquid præstaretur, *l. pen.* §. *pen. & ult. De legat.* 3. *& l.* 7. *unicuiq;*, *C. de prox. sacroscrin. & l. ult. C. d. tit.* & convivia in principio administrationis inceptæ, apud Judæos usitata fuerunt, 1. *Sam. c.* 9. 19. 25. 26. *Est. c.* 1. 1. *Reg. c.* 3. 15. 1. *Chron. c.* 12. 38. 39. 40. *c.* 29. 22.

Sequitur de justitia, qua conversatio honoratorum & præstantiorum cum popularibus, temperatur & peragitur justé & moderaté; ut ex ea inferiorum benevolentiam, amorem & studium sibi comparet, ita ut reverentiam non terrore, nec amorem humilitate captet. Hæc consistit potissimum in mutuo amore, in adsignatione ministeriorum, patrocinio & compensatione obsequiorum.

In mutuo amore: quia amamus eos, apud quos in pretio & honore esse cupimus; & amici illis esse volumus, quos nostri admiratores &

res & quasi æmulos, & imitatores esse cupimus. Ideoque etiam orare convenit superioribus pro inferioribus. Sic Moses pro gente sua Deo supplicabat: Abraham, pro Sodomis: Samuel, pro Saule: Jeremias, pro populo: & Paulus, pro suis auditoribus & ecclesiis.

In officiis & ministeriis adsignandis, personarum ratio & delectus habēda, ut si quid sordidius tractādum inciderit, illud vilissimo cuique mandetur: laboriosa robustis, levia imbecillis & natu grandioribus injungantur, prout justitia distributiva exigit; ne intempestive ultra modum obsequia debita exigantur; neque rigidè, severé & exacte & exquisite; sed humaniter, leniter, claré, distinctè, placide & amanter. *Colos. c. 4. Philem. 1. 13. & seqq. Senec. lib. 6. epistol. 42. & Epist. 46. & lib. 6. c. 4. de benefic. Nam ut Dion ait lib. 43. potentia mediocriter exercita, omnia quæsita conservat. Et qui impudenter & passim in omnibus potentia abutitur, is neque veram benevolentiam, neque firmam securitatem invenit.*

Huc etiam pertinet, quod ejusmodi superior & præstantior in conversatione cum humiliori verbis factisq; benignis se amabilem, lenem & humanum præbere debeat, qui etiā inferiori se suum honorem tribuat, 1. *Pet. c. 3. 7. Viri similiter unà versentur ut scientes decet, vasi muliebri, ut infirmiori, tribuentes honorem, utpote cum unà etiam hæredes sitis gratiæ vitæ, ne interrumpantur preces vestræ, & Senec. libr. 6. e-*

pist. 42. & 46. Servi sunt, inquit, imo homines, imo contubernales, imo humiles amici, imo conservi, si cogitaveris, tantundem in utrosq; licere fortuna. Ideo rideo istos, qui putant turpe cum servis suis cœnare. Quare? nisi quia superbissima consuetudo cœnantem dominum, stantium servorum turba circumdedit, & late epist. 47.

Sic David victo & profligato Goliatho à Saule ad convivium & mensam invitatus legitur honoris ergô. Et David honoris caussa Mephiboseth in mensa sua edere voluit. 2. *Samuel. c. 9. 15.16.* 17. & Rex Babyloniæ captum regem Judæ. *2. Reg. c. 25. 31. 32. 33.* & David filium Barzillai. 2. *Sam. c. 19. 34. & seqq.* quamvis aliàs inferiores & humiliores ministeria ad mensam præstare teneantur. *Luc. c. 17.* 8. *Joh. c.* 12. 2. *3. vid. Sueton. in Caligul. Val. Max. lib. 5. c.* 1. *Lips. lib.* 4. *Polit. c.* 8.

Patrocinium suum, protectionem, auxiliũ & consilium, honoratior atq; præstantior, humiliori populari, tenuiori clientulo, sponte, non rogatus, pręstare, & exhibere debet. Apud Romanos, plebei singulos patronos, ex patribus legebant, quorum consilio & auctoritate uterentur adversus aliorum injurias, *vid. Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. dier. c.* 24.

Compẽsatio obsequiorum justa est, ex qua tenuiores intelligant, peccare esse inutile & perniciosum; rectè vero facere, fructuosum. Hìc itaque superiores & præstantiores, quantum possunt, imitari debet agros fertiles, vel

terræ consuetudinem, quæ à quibus diligentius & laboriosius colitur, iis uberiores ferunt fructus. *Ideo rectè Senec. de brevit. vita, Melius beneficiis imperium custoditur, quam armis.* Videndum igitur & laborãdum est inprimis hisce dignioribus & honoratioribus, ut exspectationi inferiorum & tenuiorum satisfaciant. in eoque non hæsitent, vel cunctentur donec à tenuibus admoneantur. Si quidem bis gratum est, quod ultro offertur. Et beneficium sero dedit, qui roganti dedit. *Senec. lib. 2. De benefic. cap. 2. & libr. 1. De clement. cap. 3. & Proverb. cap. 3. 28. Revertere, cras sum daturus tibi, &c.* Hoc facto superior tenuiorum & inferiorum studia & voluntatem in se excitabit, ut summa alacritate, promptitudine & contentione imposterum obsequia præstent, ut usus obtemperantium fructuosior & jucundior illis reddatur: & semper alacres & bonæ spei plenos suique amantes & ultro obsequentes humiliores populares experientur, qui ipsos tanquam parentes diligent, non ut tyrannos, vel avaros metuent. Atque ejusmodi liberalitas, hominibus etiam maximé commendatur. *Proverb. cap.* 11. 26. *cap.* 28. 16. *Tit. cap. 3. 13. 1. Samuelis cap. 30. 26. 2. Samuelis cap. 9.* 7. Apud Romanos Imperatores sæpè maximas largitiones in populum faciebant. *De quibus vide Alexand. ab Alexan. libr. 5. c. 24. Genial. dier. Et Seneca libr. 3. De benefic. cap. 15. eleganter dicit, Generosi animi est*

& magnifici, juvare & prodesse, & in lib. De morib. Generosi animi est, vires suas beneficiis potius, quam injuriis manifestare. Item: Multi sunt obligandi, pauci offendendi. Nam memoria beneficiorum facilis est, injuriarum tenax. Qua de causa, honoratiores etiam populares & humiliores ad convivia sua solebant vocare, ut dixi, 2. *Sam. c. 9. 11. 15. 17. Luc. c.* 14. 7. *& seqq.* 2. *Sam. c. 3. 20. c.* 13. 25. 28. 1. *Reg. c.* 1. 9. *c.* 3. 15. *Luc. c. 22. Ruth. c. 2. 14. Luc. c. 5. 29. Genes. c. 43.* 16. 31. *& seqq. c.* 21. *8. c.* 26. 30. *c.* 29. 22. *c. 40. 20. Job. c.* 1. 2. *Reg. c. 25. 31. 32. 33. Sueton. in Augusto, & Vespasiano & in Caligula, Valer. Max. lib. 5. c.* 1. *Stuck. lib.* 2. *convivial. antiquit. c.*1. Quod si nulla beneficia tenuioribus præstare possunt, saltem benevolentiæ, favoris & gratiæ argumentum præbeant, seq; affabiles, humanos & amabiles præstent.

Sequitur de omittendis, quæ fugere & evitare debet honoratior in conversatione cum vilibus popularibusq; personis, quæ e regione respondent illis, quæ illi faciẽda esse diximus.

Primum itaque in delato honore acceptando, fugere decet, ne honores competentes & obsequia debita recuset, quadam humilitatis simulatione, quæ (ut dixi *supra c.* 2.) duplex est superbia, & præsumptionem contemti honoris facit & præmii rejecti, *vid. Prov. c. 13. 7. Ecclef. c. 10. 32. c. 14. 4. 5.* Unde etiam extenuatio suæ conditionis & status homini Ethico & politico prohibita, *ut dixi supr. c. 2. in* ταπεινολογίᾳ.

Qui

Qui contra autem supra quam decet ceremoniarum usu delectatur, id ipsum ex quadam levitate & vanitate facere dicitur, tanquam homo nullius precii.

Usus obsequiorum fit abusus propter excessum, vel defectum. Ob excessum, quando superior honoratior acerbé obsequia exigit, inhumaniter, insolenter, tyrannicé & injusté; aut superbé, tanquàm servitio coacto & servili, vel cum minis, injuriis, aut acerbis sermonibus. *Philemon*. 1. 13 *Quem ego cupiebam apud me retinere, ut pro te mihi ministraret*, 14. *Sed absq; tua sententia nolui facere, ut non veluti ex necessitate sit beneficium tuum, sed voluntarium,* & *vers.* 19. 20. 21. *ibidem.* Peccatur igitur hîc, quando ad famulatum usq; viles & humiles à superioribus deprimuntur. Uti quando in Xysto diu inambulantem honoratiorem tenuis, popularis, aperto capite respicere cogitur: vel ille contumeliis, cõvitiis, clamoribus, vel minis honestos homines, etiam in publico consectari delectatur, vel sordida ministeria exigit, vel iniqua injungit & non congruentia, vel non debita; item, quando semel atque iterum obsequiis & observantia cessantibus, atrociter succenset & se implacabilem & inexorabilem præbet; aut amarũ, difficilem, morosum, durum, austerum, rigidum & asperum. Hoc modo honoratiores naturalem libertatem tenuiorum & popularium, constringunt: & odiosi, invisiq; redduntur, aliisq; spectanti-

familiaritas, ut habet proverbium, parit contemptum. *qua de re eleganter Callistratus libr. 1. De cognitionibus: Observandum est,* (inquit,) *jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se prabeat, sed contemni se non patiatur; unde mandatis adicitur, ne prasides provinciarum in ulteriorem familiaritatem, provinciales admittant. nam ex conversatione aquali contemptio dignitatis nascitur. Sed & in cognoscendo, neque excandescere adversus eos quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrymari oportet; id enim non est constantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit; & summatim ita jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat: hac in l. 19. observandum, De offic. prasid. quibus adde Novell. 17. c. 2. in fin. l. 1. in fin. princip. de postuland. l. 1. §. sed etsi, 11. de vent. inspiciend. l. 9. nec, §. 2. De offic. procons. Proverb. c. 25. 17. & Senec. ad Polyb. & Livius lib. 35. Continuus aspectus minus verendos magnos homines ipsa satietate facit. Et ut Tacit. 1. Annal. ait, majestati major ex longinquo reverentia.* Sed tamen hic contemptus in patria & inter cognatos difficulter præcaveri poteſt, Chriſto docente, *Marc. cap. 6. 3. 4. 5. Luc. c. 4. 24.*

In ſecundo requiſito gravitatis omittenda & fugienda ſunt honoratiori illa quibus cõtemnitur & vilis habetur, ne ſcilicet ſit obnoxius criminibus, vel culpabilis malum ab aliis habens teſtimonium. Nam *ut Seneca libro 51 epist. 7. & 8. dicit,* unum exemplar luxuriæ aut

avaritiæ, multum facit mali. 2. *Corinth. c.* 6. 3. *Nullam ulla in re præbentes offensionem, ne vituperetur ministerium.* 4. *sed in omnibus nos approbantes ut Dei ministri, &c.* 1. *ad Timo. c.* 5. 14. *Nullam occasionem date ad maledicendum, Tit. c.* 1. 6. 7. 8. 9. *Philip. c.* 4. 8. 1. *Timoth. c.* 4. 12. 2. *Cor. c.* 6. 3. 4. *& seqq. Matth. c.* 23. 13. *& seqq. Tiraquel. de nobilit. c.* 37. *num.* 40. *& seqq. Nam perversus animo erit contemptui. Vir bonus vero laudabitur, ait Salomo Prov. c.* 12. 7. 8. *Ecclesiast. c.* 10. 1. Ut *muscarum mortuarum una efficit ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii, similiter pretiosum nomine sapientiæ & gloriæ virum ut fœtidum efficit stoliditatis parum. Nam & I. C^{ti}, per turpitudinem vitæ omnem dignitatem, nobilitatem & auctoritatem plerunque amitti statuunt, Tiraquel. de nobilit. c.* 23.

Deinde etiã superbia omnino & gloriæ atque honoris cupiditas fugienda. *Matth. c.* 20. 26. *& seqq. Roman. c.* 12. 16. *Eodem animo inter vos mutuo affecti, nõ elate de vobis ipsis sentientes, sed humilibus obsecundantes. Ne estote prudentes apud vosmet ipsos.* 1. *Corinth. c.* 13. 4. 5. 6. 7. 8. *Proverb. c.* 11. Ubi *superbia, ibi & contumelia; ubi autem humilitas, ibi & sapientia. & c.* 16. *Melius est humiliari cum mitib. &c. & c.* 29. Superbia enim Deo & hominibus exosa est, *Eccles. c.* 10. 7. 8. *& seqq. c.* 3. 19. *Quo major es, eo magis te ipsum abiice; & coram Domino consequeris gratiam.* 20. *Multi excelsi & gloriosi sunt supra modum, sed mansuetis revelantur arcana, Marc. c.* 9. 35.

9.35. Si quis in vobis major sit, fiat tanquam minimus. Deut. cap. 17. 12. & seqq. 20. Ne efferatur animus ejus præ fratribus suis, & ne recedat ab hoc præcepto, &c. 2. Reg. c. 5. 13. 14. Job. cap. 31. 13. vid. Pet. Gregor. lib. 4. cap. 10. num. 10. de Repub.

Tertio etiam fugiendum exercitium artis sordidæ, vilis & abjectæ. *Tiraquel. de nobilit. c. 27. & seqq. Vid. Eccles. c. 38. 26. Qua in re efficeretur sapiens? qui tenet aratrum & gloriatur de hastili stimuli boves agit, & nutritor inter opera eorum & cujus narratio est de taurorum fœtibus. 27. & seqq. versic. ubi late sordida manualia artificia describit, quæ minus suis cultoribus honorifica & Reipub. non tantũ utilitatis præbent, quantum honorifica alia nobilia officia, ex quib. dignitas & auctoritas & honor venit & adquiritur; sed proh dolor! hodie multis in locis Vespasianus cum suo lotio generosis & magnis familiis nobilibus se immiscet.* Huc etiam pertinet, ne ejusmodi dignior cum inquinatissimis hominibus convicio decertet, neque in maledictis adversus impudentes & improbos velitet, *ut loquitur Gell. lib. 6. c. 11.* quia tantisper similis & compar eorum fit, dum paria & similia dicit.

Quarto etiam arcana tenuioribus non sunt communicanda. ita enim honoratior prodit suam inopiam & stultitiã & jacturam opinionis de se conceptæ facit. *Vid. Eccles. c. 6. 6. 13. cap. 32. 23. c. 37. 7. 11. cap. 11. 30. cap. 13. 2. 3. 5. 6. 7. 8.*

In tertio gravitatis requisito, fugienda est negligentia, dissimulatio, incuria & oscitantia, indulgentia in monendo, instituendo, corrigendo & reprehendendo, reprimendo, cohibendo & puniendo. Nam non succensere delinquentibus, est indicium animi ad similia propensi. Similis enim simili gaudet. Addo, quod negligēs se delictorum admissorum suo silentio participem facit & vilem se reddit humilioribus, & virtutis amorem & studium languefacit. *Proverb. c.* 13. 24. 1. *Sam. c.* 2. 22. 29. *cap.* 3. 13. 14. & 1. *Reg. c.* 1. 5. 6. *vid.* 1. *Sam. cap.* 2. 12. 13. & *seqq. c.* 3. 13. & *seqq. Ephes. c.* 5. 7. 11. 1. *Timoth. c.* 5. 22. *Proverb. c.* 29. 24. *vide exempla. Esa. c.* 1. 23. *Matth. c.* 14. 4. 2. *Sam. c.* 12. 7. *c.* 24. 13. 2. *Chronic. c.* 19. 2. 2. *Reg. c* 3. 13. *c.* 21. 10. *Exod. c.* 31. 21. 1. *Sam. c.* 2. 23. 27. 28. *cap.* 12. 12. 13. *Num. c.* 20. 12. *Latius dixi in cap. de Seductione in maleficiis.*

Huc etiam pertinet negligentia & cessatio in officio, de qua graviter *Esa. cap.* 1. 23. 24. 17. 18. *c.* 3. *Ezech. c.* 34. 4. & nimia indulgentia & licentia, *Proverb. cap.* 13. 24. 1. *Reg. cap.* 1. 5. 6. quâ deteriores viliores fieri patitur. Sed tamen hic naturales quosdam exiguos nævos inferiorum, superiorem æquo animo ferre decet, quod scilicet illi sint inurbani, indiscreti, stolidi, incurii, obliviosi, queruli, avidi, iracundi, impotentes, importuni, vel aliis defectibus laborent.

Quarto requisito gravitatis cōtraria est sui ipsius

ipsius extenuatio, *de qua sup. c.* 2. & vita, mores & gestus statum & gravitatem non decentes. ubi imprimis vanitatem, temeritatem, futilitatem, levitatem & fastum fugere conveniat, ne ob dignitatē & authoritatē suam alios contemnat, vel altiorē gradum affectet. *Galat. c. 6. 3. Roman. c.* 2. 3. vel dictis & factis suis hominum, non Dei gloriam quærat, 1. *Thess. c. 2. 6. Matth. c. 23. 5. & seqq. c. 6.* 1. & supra quam par est sapere velit. *Rom. cap. 12. 3. cap. 11. 20.* & suis viribus, vel prudentiæ cuncta adscribat. *Galat. c. 6.* 13. *Jacob. cap.* 3. 14. *Esa. cap. 2. 9. & seqq.* atque inferiores opprimat, lædat. *vid. Eccles. cap.* 13. *per tot. Es. c. 3. 4. & seqq.*

Quinto requisito gravitatis contraria est levitas in dictis & factis, quæ non habet rationem retinendi & defendendi famam, existimationemque decentem statui suo; *Galat. c. 6. 4. Tit. c. 2. 7. Per omnia temet ipsum exemplum bonorum operū præbens, in doctrina integritatem, gravitatem. Ephes. c. 5. 4. Et obscænitas & stultiloquium, & scurrilitas quæ non conveniunt: Proverb. c. 15. 23. c. 13. 3. c. 20. 15. Jacob. c. 1. 19. vid. quæ dixi c. 23. sup.*

Huic requisito etiam contrarius vestitus sordidus, inconveniens, avaritia, sordes. *Vid.* 1. *Sam. c. 2.* 13. 14. *& seqq.* 1. *Sam. cap.* 25. 10. 11. 17. 25. 26.

Ne cōtra justitiam cōmittat, fugiendū honoratiori & cavendū ne incongruētia ministeria, turpia, vel inhonesta præcipiat obsequia,

ne nimia sævitia, austeritate & severitate obsequiis utatur iniquè, humiliores & inferiores exagitet, irritet, *Coloss. c. 3. 21. 19. Ephes. c. 6. 4. 9. Coloss. c. 4. 1.* vel illicitas aut non necessarias operas exigat, vel patrocinium & defensionē contra lædentes præstare cesset, vel uno momento tria, vel quatuor simul præstari sibi exigat, vel nullo modo sibi satisfieri patiatur, vel citius fieri quam injungi postulet.

Compensatio obsequiorum neglecta & beneficentiæ omissio, gratiam & benevolētiam collectam dissipat & dilabi patitur, quam tamen comparatam habere valde, dignitatem & authoritatem cōfirmat & auget, in qua cessans honoratior opinionem avaritię, sordiumve de se excitat & voces in se contumeliosas irritat. Nequaquam igitur tenuiores spe inani clementiæ, vel benignitatis & beneficentiæ lactandi & simulatione quadam obsequiorum præmio fraudandi.

CAPUT VII.

De officio peculiari in sermone & habitu, splendore & gloria præfulgentium erga inferiores populares.

DE officio communi excellentiorū & præstantium erga inferiores populares & tenuiores, dictum est. Sequitur de peculiari officio, quod excellentiores gloria & splendore præeminētes, erga inferiores præstare debent sermone & gestu.

Quoad

Quoad sermonem, hisce superioribus ad amplitudinem, magnificentiam & majestatem suam tuendam & conservandam, per alios, nimirum ministros suos præstantes, loqui & sermonem habere convenit, exemplo Mosis, *Exod. c. 4. 16. Nam alloquetur ipse (Aaron) pro te populum: fietq; ut ipse sit tibi vice oris, tu vero sis ei vice Dei; & cap. 7. 4. Tum dixit Jehova Mosi, Vide constitueram te vice Dei Pharaoni. Aaronem vero fratrem tuum, ut esset interpres tuus; 5. Tu loquitor quæcunq; præcepero tibi. Aaron vero frater tuus, alloquitor Pharaonem, ut dimittat filios Israelis è terra sua.* Qua in re etiam imaginem aliquam Dei exprimunt, qui nobiscum ore & sermone ministrorum suorū loquitur. *Exod. c. 7. 19. c. 19. c. 20. 19. Dixerunt itaque Mosi: Loquere tu nobiscum & audiemus te, sed ne loquatur nobiscum Deus, ut non moriamur.*

Summo ejusmodi Magistratui vociferatio etiam verborumq; intemperantia, non ex majestate est. *Senec. lib. 1. Declam. 7. in fin.*

Gestus & habitus, quo summi hujus Magistratus splendor gloria, magnificentia & majestas ostenditur, consistit partim in ministerio inservientium, partim in victu & amictu, partim quoq; in gubernatione Reipub.

Ministerium ad nutum hujus summi magistratus præstant ministri, famuli, cursores, satellites & σωματοφύλακες & αὐλάρχαι perpetuò comitantes & adstantes eidem. *Cujus rei exempla vid. in Salomone 1, Reg. c. 10. 5. 6. 8. ubi Jun.*

V

c. 4. Matth. c. 8. 3. & seqq. in Saule. 1. *Sam. c. 16. 17. 18* in Davide. 2. *Sam. c. 8. in fin. ubi Pet. Martyr, &c. 19. 33. & seqq. & pluribus aliis. Ester. c. 1. 13. 14. Daniel. c. 1. 4. 19. 20. Exod. c. 11. 8. c. 8. 3. 31. c. 7. 13. 23. Jerem. c. 22. 5. 6. 7. c. 17. 25. c. 34. 19. 2. Chronic. c. 9. 25. & Judic. cap. 24. 25. 2. Sam. cap. 12. 17. 19. 20. 21. cap. 15. 14. 16. & seqq. cap. 9. 4. ubi Jun. & 2. Reg. cap. 11. 4. 5. 6. & seqq. cap 24. 14. 17. 1. Reg. cap. 14. 28. 1. Chronic. cap. 18. 17. cap. 29. 1. 2. 3. 2. Chronic. cap. 17. 14. usque ad finem. 1. Sam. cap. 22. 6. 7. cap. 26. 15. 16.* quales Regis officiarii numerantur. 1. *Chron. cap. 27. cap. 28. cap. 29. & 2. Reg. cap. 11. cap. 24.* Sumebantur tales ministri apud Judæos, ut plurimum, ad latera Regis, ex Cheretis & Pelethis, & filiis vel cognatis Regis. 2. *Sam. cap. 15. 18. 19. cap. 9. 4. ubi Jun. aliis est cap. 8. in fin. ubi & Pet. Martyr notat. 1. Chronic. cap. 18. 17. Genes. cap. 41. 45. ubi Jun.* Horum ministrorum officium erat neminem ad Regem admittere, sine ejusdem venia & mandato. *Est. cap. 4. 11. 12. cap. 5. 1. 2. cap. 2. 21. cap. 8. 1. 2,* & ad nutum atque voluntatem Regis inservire & ministeria præstare, ejusque corpus & vitam contra pericula & injurias aliorum defendere, ut patet ex locis supra adductis: & ex prophanis etiam probat *Pet. Gregor. de Repub. lib. 22. cap. 11. & patet ex tit. C. de apparitor. præfect. prætor. l. 8. C. de off. rector. provinc. & tit. C. de off. Magist. off. ubi Cujac. adde Lips. Polit. lib. 4. c. 6. & 7.*

Huc

Huc pertinet etiam equitatus, qui iisdem de caussis huic summo Magistratui attribuitur. *Judic. c.* 5.10. 11. *cap.* 10. 4 *c.* 12.14. 2. *Sam. c.* 15. 1.2.3.1 *Reg. cap.* 4.26.2 *Chronic. cap.* 9.25 *Jerem. c.* 17.25. *cap.* 22.4. Item, Magistratus intermedios a superiore constitutos & ordinatos huc refero, *de quibus supra dixi*; nec nõ cõsiliarios, sapiẽtiâ & scientiâ præstãtes, scientes jus, judicia & tẽpora. 1. *Chron. c.* 12.32. *Est. c.* 1.13.1. *Chron. c.* 27. 32.33 34. 2. *Chron. c.* 30. *c.* 31. 8. quos imprimis in rebus dubiis & arduis cõsulere possit *Deut. c.* 17 8.9.10. *c.* 19.17.18. *Exod c.* 18. 19.22.27.1 *Sã. c.* 9.6 *& seqq.* 2. *Sã. c.* 15. 37.38. 34 *c.* 16.16.17. *Prov. c.* 11. 14. ubi nõ sunt prudẽtia cõsilia, corruit populus Salus autẽ est in amplitudine consiliarii. *vid. Senec. lib.* 3. *De ira. c.* 17.23. *lib.* 2. *De benefic.*

Hisce addo hostiarios, cubicularios, nomenclatores *Senec. in sapient. nõ cad. injur.* trossulos, cursores, & plures similes. Itẽ cantores, musicos quibus summus Magistratus ad lętitiã & hilaritatẽ, vel ad laudes Dei celebrandas utitur. 2. *Sam. c.* 19.35 *& seqq. Nehẽ. c.* 7. 67. 1. *Chrõ. c.* 25. *& c. seq* & gynęceũ. *Est. c.* 2.3 8.11.13.14

Victus hujus summi Magistratus consistit in splendidis & exquisitissimis epulis & cibo potuque laudatis. Amictus similiter magnificus, sumptuosus & splendidus esse solet. De hoc victu & amictu *vid. exẽpla* 1. *Reg. c.* 4 22.23. *& seqq. c.* 7. 1.2.3. *& seqq. c.* 10.2 5.8. *& seqq.* 15. 16.17.18. *& seqq.* 2. *Chron. c.* 9. *Matth. c.* 6.29.

Ester.c.1.4. & seqq. 2. Sam.cap.19.33. & seqq 1. Macchab.c.10. 20. 21. 22. 64. 65. 88. 66. c. 11. 58. c. 14. 43. 44. Pet. Gregor. lib. 6. c. 5. lib. 8. & libr. 22. c. 5. de Repub. & lib. 9. Syntag. c. 19. Pet. Martyr Judic. c. 9. Deut. c. 28. 56. Menoch lib. 4. praes. 161. Dd. in l. vestis, § 2. de auro & arg. legat. & in l. vestis, 127. de verb. signif. De vestitu regio dixi etiam *supra c. 8 & Isidor. lib. 19. c. 22 & seqq. Bayfius de re vestiaria, c. 9. Tiraquell. de nobilit. c. 20. num. 143. & seqq. & De legib. connub. leg. 3. & tit. C. de vest. holoseric & aurat. lib. 11. tit. C. nulli licer. in fren. equis. &c. lib 11. de paraganda veste serica, purpurea, item frenis equestribus, sellis & baltheis, smaragdis, hyacinthis, margaritis ornatis, vid. l. 1. l. 2. ubi Cujac. C. de vestib holoser. & aurat. & d. tit. C. nulli licer. in fren. equestr. sell. balt. aptar. smaragd. lib* 11.

Gubernatio Reipub. ad utilitatem subditorum referenda est, ita ut hãc, propria vita chariorem habeat, arg. ejus quod piè de se scribit Apostolus 1. *Thessal. c. 2. 8. 9. 10. 11.* & pro subditorum commodis promovendis & incommodis avertendis laboret. exemplo Samuelis, *1. Sam. c. 12. 25. & aliorum. 1. Macchab. c. 14. 4. 5. 14. 35. 36. Cic lib. 1. Offic. Exod. c. 32. 11. 12. c. 33. 6. 7 8. 9. & Num. c. 14. 19.* & illis tãquam animus corpori imperet, ut verè pater patriæ dici & haberi possit, *Genes. c. 41. 42. 43. & seqq. c. 45. 8. 9. Psalm. 105.* 21. 22. & amorem & benevolentiam civium sibi conciliare possit, *Senec. lib. 1. De clement. 1. lib. 2. 19. c. 3. Illius demum, inquit,*

inquit, magnitudo stabilis est, fundataq́, quem omnes tam supra se, quam pro se, sciunt, cujus curam excubare pro salute singulorum, atq́ universorum quotidie experimur; quo procedente, non tanquam malum ac noxium animal e cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum & beneficum sidus advolant. & idem ad Polyb. latissime & gravissime describit, & Apostol. ad Rom. c. 13. 2. Dei enim minister est tuo bono, &c.

Porro in hac gubernatione, se ipsum præstare debet pium, sobrium, strenuum, prudentem, magnanimum, fortem, justum, sapiẽtem, veritatis amantem, *Deut. c. 1.13. 15.* Præteritorum memorem, pręsentia prudenter ordinantem & in futurum cautum, *Pet. Gregor. lib. 24. c. 2. & lib. 10. c. 4. De Repub. per Deuteron. c. 32. Proverb. c. 14. c. 16.* Nam perfecta prudentia consistit in sapientia ex præteritis, intelligentia de præsentibus, & providentia de futuris. *arg. Deut. d c. 32. Job. c. 12.* quàm sapientiam imprimis ad Reipub. gubernationem necessariã & utilem judicavit sapientissimus Rex Salomon, *1. Reg. c. 3. 9. & seqq. Proverb. c. 11. 14.* ex qua subditorum timor & metus, *1. Reg. c. 3. 28.* & Magistratus apud alios summa authoritas & fama, *1. Reg. c. 10. per tot.* qui nihil aut suscipiat aut agat nisi lentè & circumspectè & cum consilio.

Strenuus inprimis apparet ex censura vitæ & morum. *Psalm. 101. & 119. 2. Reg. cap. 10. cap. 23.* & quando provinciam suam malis ho-

minibus purgat. *l. 13. congruit. l. 6. de off. praesid. Proverb. cap. 20. 26. 30. Jos. cap. 7. 19. 20. 25. 2. Chronic. cap. 14. 3. 5. 6. Senec. lib. 1. de ira. cap. 5.* Legum praesidem civitatisque rectorem decet quandiu potest, verbis & his mollibus ingenia curare, ut facienda suadeat, cupiditatemque honesti & aequi animis conciliet, faciatque vitiorum odium, pretium virtutis. Transeat vero deinde ad orationem tristiorẽ, quae moneat adhuc & exprobret; novissime ad poenas, & has adhuc leves & revocabiles decurrat; ultima supplicia sceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Contraria huic virtuti in excessu tyrannis, & in defectu licentia & indulgentia nimia & ignavia. Unde illud vulgatum: *Malum est eum imperare sub quo nemini quidpiam concessum est; sed longe pejus vivere sub eo, sub quo maxime liceat quidvis.*

Hìc tempestive annectitur quaestio, *An & quatenus Magistratus conversationem fidelium cum infidelibus in sua Dioecesi ferre possit?* Quod ipsi Pet. Martyr *Judic. cap. 1. 36.* concedit sub sequentibus conditionibus. Primo, quando infideles illi fideles non adigunt ad cultus impios. Deinde, quando infidelibus Magistratus nõ concedit pravos ritus & ceremonias impias in sua regione; uti fecit Salomo suis uxoribus & concubinis infidelibus. Tertio, quando eos infideles curat assidue & diligenter erudiri in sua dioecesi. Quarto, quando diu instructos & doctos

doctos ad sanos & puros cultus adigit tandem. Peregrinis merces inportātibus vel exportantibus nulla vis inferenda.

Intermedius Magistratus aliū superiorem recognoscēs multo minus habet jus homines ad impias religiones adigendi, neque illas infidelibus etiam ex jussu sui superioris concedendi, quibus gratificari non debent in iis, quę pugnant cum verbo Dei, exemplo *Ezechiæ 2. Reg. c. 18.* sed potius ex officio se opponere debent in negotiis impiis, non iis quę cum jactura bonorum fiunt. *1. Pet. c. 2. vide quæ disserui Dicæolog.* cap. de abusu potest. publicæ. *& Ursin. lib. 2. Dispos. 42. & seqq. & Pet. Martyr. d. loc.*

Iudęos quoq; in consortio & conversatione Christianorū tolerandos putat *Martyr. d. loc. cum August. De civitate Dei, lib. 4. c. 18. & super Psalm. 58.* & primo quidem ob prophetiam *Rom. c. 11. 25. 26. Luc. c. 21* 24. Deinde, quod signa & instituta a Deo retineant, quæ Deus in illis posuit, ut in Caino, ne interficiantur. Tertio, quod horū conversatio Christianis utilis admonitio. *Rō. c. 11. 16. 17. & seqq.* Quarto, quia Biblia servant & legūt, & inviti testes fidei nostræ sunt. Sed videndum & curandum à Magistratu ut conviciis & blasphemiis in Deū abstineant & habitu & notis quibusdam a Christianis discernantur.

PIUS dicitur, quando ex prima tabula præstat & facit quæ respiciunt Deum ejusque cultum; ut scilicet habeat ecclesiam constitu-

tam ad præscriptum verbi Dei, cujus auctoritatem contra omnes perturbationes & contemptores tueri & vindicare debet, exemplo Mosis, Davidis. *Psalm.* 132. *1*. 2. 3. *4*. Josaphat. Josiæ, & aliorum piorum magistratuum. Pietate autem Magistratus venerabilis redditur, quæ subditorum obedientiam conciliat & insidias tollit. Nam subditi minus injustum aliquid sperāt ab eo principe pati, quem religiosum Deorumque verentem existimant; & minus ei insideantur, ut tutores & adjutores habenti etiam Deos, *ut ait Aristot. Politic. c.* 9.

JUSTUS dicitur, quando judicium & justitiam observat & exercet. *1. Reg. c. 10.* 9. *Psalm. 82. Proverb. c. 16.* 12. *& seqq. Deut. cap.* 17. 2. *Chron. c.* 19. *quibus* regnum & magistratum stabilit & confirmat. *Proverb. c. 29.* 4. 14. *cap. 20.* 28. *c. 25.* 5. 2. *Chronic. c.* 13. quando bonos præmio, malos pœna afficit. 1. *Sam. cap. 7. 15. 16. 17. Rom. c.* 13. *Deut. c.* 17. *5. 6. 7. & seqq.* 1. *Pet. c.* 2. 13. 14. oppressos & miseros protegit, & neminem prægravat. *Nehem. c. 5. 15. Ezech. cap. 45.* 18. *Mich. c.* 3. 3. *Jos. cap. 8.* 26. *1. Sam. c.* 15. *33*. 34.

SOBRIUS est, quando modum & tempus tenet in potu & cibo. *Ecclesiastis cap. 10.* 13. ***Hei tibi regio cujus rex puer est, & cujus principes mane comedunt.*** 14. ***O te beatam regionem, cujus Rex natus est clarissimis, & cujus principes suo tempore comedunt ad robur, non autem ad compotationem. Proverb. cap.*** 31. 4. ***Absit Regibus***

ô Le-

ô Lemoel, absit regibus, bibere vinum; & dominatoribus desiderium potus inebriantis. 5. Ut *non cum biberit, obliviscatur statuti, & mutet jus ullorum afflictorum.*

Hisce virtutibus Princeps stabilire dicitur magistratum suum, *Proverb. c. 29. 4.* 14. *c. 20. 28. c. 25. 5. 2. Chron. c. 13. per tot.* & inexpugnabile munimentum sibi facere, *ut ait Senec. lib. 1. De clement. c. 19.* His existimationem & auctoritatem suam conservare dicitur, quæ tanti æstimatur, ut fulcrum Regni & imperii & tutela salutis dicatur. *vid. Lips. libr. 4. Politic. c. 9. c. 12. cum alleg. ibid. & quæ dixi lib. 1. Dicaolog. c. 32. & seqq. & cap. De abusu potestat. public.* Contra, malos reddit principes, nimia licentia, deinde rerum copia, improbi amici, satellites detestandi, aulici stulti vel detestabiles, ignorantia rerum publicarum.

Auctoritas autem, hoc est, impressa subditis & externis opinio reverens de se, ejusmodi Magistratui summe necessaria & quasi *anima regni* dicitur. Ejusmodi auctoritas constat ex admiratione & metu conjuncto.

Admiratio comparatur ex forma imperii, potentia & moribus imperantis Magistratus, *ut ait Lipsius lib. 4. Politic. c. 9.* quæ regni fulcra a rebellione & contemptu Magistratum vindicant. *vid. Lips. Polit. lib. 4. c. 12.*

Forma imperii sit severa, cōstans & adstricta.

Severa, quia perpes & assidua lenitas contemptum inducit & principatus pestem, ut ait

Lipsius. & maximam illecebram peccandi impunitatis spem. Severitas vero sanat subditos, quæ tamen sit tempestiva, & Reipub. seu subditorum morbo adcommodata.

Constans ideo, quia inconstantia Magistratus vilescit & crebra mutatio subditis perniciosa.

Adstricta ideo, ut præcipua vis & honos non solũ á gubernante Magistratu sit, sed etiã apud eundem. Siquidẽ ea imperandi est ratio, vt non aliter constet, quam si uni reddatur & á nullo alio pendeat, vt ex Tacito *Lipsius refert.* Ergo honores nimios, vel longos non dabit Magistratus summus.

Potentia est ad sua conseruanda & aliena obtinenda idonearum rerum facultas: quę Lipsio auctore, nititur & fulcitur opibus, armis, consiliis, fœderibus, & fortuna.

Mores imperantis decenteş sunt, quæ conseruant & conciliant auctoritatem & grauitatem homini. *de quibus supra dixi cap. praced.*

Metus censura morum justa & observatione, inquisitioneq; vigilanti vitæ singulorũ paratur, quib. subditi intelligãt peccare esse perniciosum, bené facere vero fructuosum. Censuræ arma sunt mulcta, ignominia & pœna. Inquisitionis ministri sunt delatores & corycæi, quorum opera omnia ipsi superiori innotescere possunt. *Vsd. Ecclesiast. c.* 10. 17. *Esc.* 8. 2. *Sam. c.* 18. 13. *Genes. c.* 44. 5. 15.

CAP.

CAP. VIII.
De conversatione parium inter se invicem.

HUcusque de imparium conversatione inter se invicé; sequitur de parium conversatione nunc inter se invicem.

Parium ergó conversatio inter se invicem est, qua pares erga pares utuntur.

Pares vocantur, qui virtute, potentiâ, divitiis, officio, pfessione, vitâ, ætatéve sunt pares. hoc est, inter quos nulla caussarum illarū quas *cap.* 11. retuli, imparitatem & inæqualitatem statuit.

Conversatio inter pares, sermone, vel gestu, talis esse debet, qualē sibi par á pari tribui vellet. Paritas in ætate, conditione, moribus, vita, vel professione eadem non turbante, vel impediente, magnū amorem inter pares cōciliare solet. Similis, n. simili gaudet & ejus consuetudine delectatur. *Eccles. cap.* 13. 1. 18. 19. 20. 21. *cap.* 9. 19. 20.

Convenit igitur hìc, dona, officiaq; in parē collata, externâ aliquâ verborū, aut gestuum declaratione, agnoscere. *Philip. c.* 2. 3 *Nihil gerite per contentionem, aut inanem gloriam, sed ex modestia, alius se alium præstantiore existimet: ita ut in dando, non veró accipiendo honore alios aliis praire conveniat. Ephes. c* 5. 21. *subjecti alii aliis cū timore Dei. Rom. c.* 12. 10. *Honore alii aliis praeuntes.* 1. *Pet. c.* 2. 17. *Omnes honorate, fraternitatem diligite.*

Sed tamen valde indecorum est, quando inter se plebei, aut mediocris conditionis homines, iisdem moribus & ceremoniis quib. magnates uti inter se solent, utuntur: aut sanè iis, quibus neq; ab inferioribus aliis honorari solent, atq; ita muli mutuum scabunt.

Neque etiam pares, magnates & magnæ virtutis & excellentiæ viri. hujusmodi ceremonias crebro inter se adhibere debent, neq; adhibitis iis delectari, aut ab aliis præter modum exigere.

Valde peccatur hîc, quando par pari se sermone vel gestu præponit & præfert & majorẽ excellentiã quærit. *Matth. c. 20. 20. Tunc venit ad eum mater filiorum Zebedai cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo, 21. Ipse vero dixit ei, quid vis? ait ei, Dic ut sedeant isti duo filii mei, unus ad dexteram tuam & alter ad sinistram in regno tuo, 22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum & baptismate quo ego baptizor baptizari? & vers. 24. Et cum hac audivissent alii decem, indignati sunt de duobus fratribus.* Parit ergo hæc prærogativæ affectatio, odium & simultatem inter pares & discordiam, 1. *Corinth. cap. 4. 6. Ut in nobis discatis, non supra id quod scriptum est, sapere, ut ne alius pro alio inflemini adversus alium, 7. Quis enim te discernit ab aliis? Galat. c. 5. 26. Ne simus inanis gloria cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes; neque elate & superbi de nobis sentiamus & apud* nos-

nosmetipsos sapientes simus. Romanorum cap. 12.

Indicia & conjecturæ hominis sermone vel gestu prærogativam affectantis sunt, quando in omnibus factis, actionibus & exercitiis & negotiis semper potiorem sui rationem haberi cupit: non curans sive molestiâ alius sive non afficiatur. Et quãdo, æqualium nos pudet; neq; quid ab æqualibus dicatur attendimus; in locis publicis pudore alium afficimus trudendo, de loco movendo, pileum abjiciendo, debitove honoris titulo fraudãdo. Quando quis aversatur, fastidit & improbat omnia, quæ ab aliis fiunt, ut nihil quod satis placeat, ab alio quoquam fieri possit, & quidquid tandem illi dicatur, torvo vultu, vel imperiosè respondet, vel agit; vel charitatis officia quæ benevolentiæ caussâ præstantur, rigidè, acerbè, aut inhumaniter exigit. Contrà, quam fecit Apostol. ad Philemonem.

In convictu igitur quotidiano parium conversantium, adsit adfabilitas, absit severitas. Nam ille superborum tumor vix servis tolerabilis; hic autem affabilis mos gratus est universis. *Isocrat. ad Demon. paranes.* Affabilitatis est non rixari, non odiosum esse, fugere contentiones, non invehi acerbè etiam in iratos sine caussa, sed fervente adhuc ira, illis cedere; objurgare autem, placata, *vid. Rom. c.* 12. 17. 18. 19. *& seqq.*

Adsit etiam benevolentia & studium gratificandi cuiq;, *Galat. c.* 5, 13. *Sed ex charitate ser-*

vitæ alii aliis.14.Nam tota lex uno verbo completur, isto videlicet, Diliges proximum tuum ut teipsum.15. Quod si alii alios mordetis & devoratis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini. Curandum itaque est & laborãdum, ut si fieri potest, & quantum in nobis est, cum omnib. hominib. in pace vivamus. & eodẽ animo inter nos mutuo affecti, non elate de nobis sentientes, sed humilibus obsecundantes cum proximo pari versemur. ut monet Apostolus ad Rom. c.12.

Ad salutem & incolumitatem inter æquales & pares tuendam, opus amicis, aut inimicis acribus. Illi monendo, hi maledicendo á vitiis revocant. Huc etiam refertur spes honoris & metus pœnæ, quæ sunt virtutis elemẽta. Illa calcar ad virtutes; hic á vitiis dehortatio & frenum revocans seu retrahens.

Inter amicos pares, quilibet antevertere debet petitionem amici. Incivile. n. est & iram movet, quando amicus non sentit quibus rebus amicus magnoperé indigeat & quid magnoperé expetat.

Decet e[illegible]m de amicis rebusq; eorũ honorifice loqu[illegible]umq; infortunio lugere & cõmoveri, &[illegible]us secundis lætari, & suum illis tribuere.

Honor igitur & fraternitas quæ inter pares est, consistit in quatuor: Primo, in συμπαθείᾳ, tã in rebus secundis, quã adversis In illis, ut cúm proximo nostro lætemur: in hisce veró ut cum eodẽ lugente contristemur. Nã gaudere in alterius

terius infortunio, aut bono animo esse in rebus ejus adversis, vel patienter mala illius audire, est indicium oligoriç & inimicitiæ.

Deinde, ut suus etiam honor pari tribuatur & conservetur, videndum, ne eundē parvi faciamus, vel contemnamus apud æmulos, rivales, honoratiores & venerandos, & apud eos qui nos honorant & venerantur.

Tertió, ut non sint subsannatores, aut contemptores ullius hominis, inprimis sui ordinis & conditionis.

Quartó observent illa Catonis:

Vincere cum possis, interdum cede sodali:
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.
Quæ superare potes, interdum vince ferendo:
Maxima enim morum semper patientia virtus.
Quod pudeat socios, prudens celare memento:
Ne plures culpent id quod tibi displicet uni.
Insipiens esto cum tempus postulat aut res:
Stultitiam simulare loco prudentia summa est.
Noli tu quædam referenti credere semper:
Exigua est tribuenda fides qui multa loquuntur.

Ergo sit frons aperta, lingua parca, mens clausa. *& illud Martialis:*

Si vitare velis acerba quædam
Et tristes animi cavere morsus;
Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus, minus dolebis. & illud Ovidii:

Crede mihi benè qui latuit, benè vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Adde monitionem Virgilii:

Et bene apud memores veteris stat gratia facti.

CAP. IX.

De modiperatoris sermone & gestu in convivii praeparatione.

HActenus de prima Ethicæ propriæ specie, conversatione scilicet quæ statui & conditioni cuique convenit; seu quæ statū & conditionem cujusq; propriam respicit. Sequitur de altera, quæ actionem convivialem concernit: seu, quæ est convivialis.

Actio seu conversatio convivialis est, quę in convivio usurpatur.

Convivium est civilis, honesta, suavis & jucunda hominum conversatio, ejusdemque cibi & potus sermonisq; communicatio, mutui amoris & amicitiæ contrahendæ, vel confirmandæ, vel benevolentiæ, charitatis, concordiæve testificandæ, aut cōservandę caussa instituta. *Luc. c. 5. 29. Et fecit ei Levi epulum magnum domi suæ; eratq; turba multa publicanorū & aliorum qui cum ipsis accumbebant. Johan. c. 12. 2. 3. Fecerunt igitur ei cœnam illic, & Martha ministrabat, Lazarus verò erat unus ex iis qui simul accumbebant. vid. exempla, 2. Sam. c. 9. 15. 16, 17. 2. Reg. c. 25. 31. 32. 33. 2. Sam. c. 19. 34. & seqq. Psalm. 104. 15. Matth. c. 26.* Convivium ejusmodi, aliàs accubitus epularis, symposium; syssitia, σύναξις, κοινωνία, συναγώγιον; Agapa, epulum vocatur.

Con-

Convivii duplex eſt diſtributio. Una, partitio integri in membra. Altera, generis in ſpecies diviſio.

Membra convivii videntur eſſe duo. Perſonæ & communicatio commenſalis.

Perſonæ convivii ſunt, quarum miniſterio peragitur communicatio ſermone & geſtu. Hæ rurſus ſunt principalis, vel adminiſtræ.

Principales ſunt, ſine quibus convivium conſiſtere & celebrari non poteſt. Ejusmodi ſunt convivator & convivæ.

Convivator, eſt procurator & adminiſtrator & gubernator convivii. Vocatur aliàs *magiſter paterfamilias, diſpēſator, præpoſitus domus. Eſter c.* 1. *Daniel. c.* 1. δεσπότης, ἀρχιτρίκλινος, *Joh. c.* 2. συμποσίαρχος, ὁ τῆς συνουσίας ἡγεμὼν, ἑστιάτωρ, οἰκοδέσποιν, οἰκοδεσποίτης, ἑστίαρχος, δεσπότης, ἐπιστάτης, modiperator, arbiter, ductor, magiſter, rex convivii, *Eccleſ. c.* 32. 1. 2. qui apud veteres ſorte eligebatur à convivis, *Eccleſ. c.* 32. 1. *Eraſm. in Chiliad. adag.* 47. *cent.* 10.

Officium convivatoris conſiſtit in procuratione & gubernatione convivii.

Procuratio convivii, conſiſtit in invitatione, apparatu, exceptione convivarum & locatione.

Invitatio convivarum, eſt humana & benevola ad convivium eorundem vocatio; facta ἀμέσως per noſmetipſos, vel ἐμμέσως, per literas nuntiosve. Invitationis ἀμέσως factæ exemplū extat *Eſter c.* 5. 3. 4. 5. 8. *ubi Eſter invitavit Re-*

gem & Haman. & 2. Sam. c. 13 24. ubi Absalon patrem & fratres invitavit. ὁμμιοως facta exemplum extat Luc. c.14. 17 23. Matth. c. 22. 1. 2. & seqq. Num. c. 25. 2. Tob. c 2. 2 3.

Invitationem decoram & civilem reddunt, delectus & forma invitandorum, *Luc. c. 14. 12. 13. 14. 15.* Delectus habetur, quoad qualitates invitatorum & numerum, & tempus. qui nimirum, quot & quando vocentur.

Delectus vocandorum est in eo, quod habetur ratio dignitatis & morum eorumdem, ne ad convivium vocati indigni, infamiam convivatori irrogent. Arguitur enim similitudo morum & vitiorum studium ex convivis. Et beneficiū in tales collocatum est *χάρις ἄχαρις, δῶρον ἄδωρον.* Invitentur itaque probi, honesti, temperantes & virtute pręditi homines. *Eccles. c. 9. 15. 16. & seqq. Tob. c. 2. 1 2. 3.* Deinde tales, quibus debeamus plurimum & qui plurimum a nobis diliguntur. Nullū enim officium referendâ gratiâ magis necessarium. *Cicer lib. 1. Offic.* Tertio, ut quisquis maxime opis indiget, ita ei potissimum opitulemur, etiam invitando ad convivium. *Luc. c. 14. 13. Sed cum facis epulum, voca mendicos, mancos, claudos, cœcos. 14. Et beatus eris, quia non possunt gratiam retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. vid Cicer. lib. 1. Of.* Quarto decorum est, ut etiam societatis & conjunctionis habeatur ratio: Et ut quisq; est conjunctissimus, in eū quoq; benignitatis plurimū confera-

feratur. *Cicer. lib.* 1. *Offi. Plutarch. lib.* 1. *Sympos. problem.* 5. *Lucæ cap. c.* 14. 12. ubi amici & vicini postponuntur egenis. Quinto convenit, ut erga illos simus liberales, qui nobis amicitia & morum similitudine sunt adfines. Sexto & ratio temporis habenda in invitatione. Nam, *ut Cicer. d. lib.* 1. *ait*, Sunt quædam officia quæ alii magis, quam alii debentur. ut, vicinum citius adjuveris, quam fratrem, aut familiam, in frugibus percipiendis. *Cicer. d. loc. Proverb. cap.* 27. *Melior est vicinus juxta, quam frater procul. Luc. cap* 15. *ubi vicini amicis comparantur. Tiraquel de pœn. temp. caus.* 23 Septimo, ut illos invitemus qui naturâ & moribus, maximé inter se congruunt. *Plutarch.* 7. *problem.* Vocentur ergo pares convivæ, non admodum dispares, sicuti Christus non exclusit Judam a mensa sua. *Matth. cap.* 26. *Vid. Joh. Guil. Stuckium lib.* 2 *cap.* 1. *convivi. antiquit.* qua in re etiam ratio habenda caussæ convivii, ad quam convivę sint apti atque idonei, ne omnis generis convivæ temeré ad quamvis caussam tractandam vocentur. Ad cōsultationem prudentes, ad dicendum & persuadendum diserti, vocandi. *Stuckius d. loc. lib.* 2. *cap.* 2. *Plutarch. lib.* 5. *Symp. problem.* 5. Ad convivium virorum mulieres olim non admittebantur, apud Græcos: secus apud Romanos, Judæos & nos. *Valer. Maxim. lib.* 2. *cap.* 1. *Cal. Rhodigin. lib.* 28. *cap.* 5, *Est. cap.* 5. *Ruth. cap.* 2. *Job. c.* 1. *Daniel. c.*

5. *Joh. cap.* 2. Apud Romanos pueri ad fulcra lectorum ſedentes cibum capiebant. *Sueton. in Claudio. Stuck. d. cap.* 1. *lib.* 2. *convivial. antiquit.* Octavo, videat convivator, ne ultra numerum decentem invitet. Eſt enim cōmunis ſententia, numerum convivarum incipere á tribus & deſinere in novem. ut pauciores non ſint tribus, neque plures novem. *Gell. lib.* 13. *c.* 11. *Cal. Rhodigin. lib.* 12. *c.* 9. & *lib.* 28. *cap.* 8. *Macrob. lib.* 3. *c.* 17. *Saturnaliorum.* Sed D. Stuckius, *lib.* 2. *cap.* 2. *conv. antiqui.* recte exiſtimat, numerum convivarum ad convivii, temporis, loci, alimentorum, facultatum, aliarumque circumſtantiarum rationem eſſe adcommodandum. Sic enim Eſterę convivium fuit duorum convivarum. *Eſt. cap.* 5. 4. 8. Abrahami, trium. *Geneſ. cap.* 18. Samuelis, triginta. 1. *Sam. cap.* 9. 22. Et Chriſti hominum multorum, *Marc. c.* 6. 40. 44. Davidis vero convivium, plurimorum. 2. *Sā. c.* 6. 18. 19. & *ſeqq.* 1. *Chronic. c.* 16. 2. 3. & Solomonis, 1. *Reg. c.* 8. Aſſueri, *Eſt. c.* 1. Videndum tamen convivatori, ne πολυάνθρωπα cōvivia ſint, & ἀμικτα, ἄφιλα & ἀπροσήγορα, communionis, amicitiæ & collocutionis mutuę expertia reddantur. *Vid. Stuckium d. loc. cap.* 2. *Plutarch. lib.* 4. *Sympoſ. problem.* 3. & *Calium lib.* 28. *c.* 8.

Forma invitandi talis eſſe debet, quæ appareat benevola, certa, ſecundum cujusq; loci cōſuetudinē. Benevola eſt, quæ amica, ſeria & humana. *Valer. Max. lib.* 2. *c.* 3. Nō languida, re-

miſſa,

missa, simulata, vel nimis importuna, violenta, odiosa, molesta. Certa est, quæ tempus, locum, personam, invitantẽ & invitatas complectitur, quæ varia á variis observari solet. Formula invitandi quædam extat *Est. cap. 5. 4. Dixit Ester, Si apud Regem bonum videtur, veniat rex cum Hamane hodie ad convivium, quod paravi ei. & vers. 8. Si inveni gratiam in oculis regis, & si apud Regem bonum videtur concedere postulatum meum, & facere petitionem meam, veniat Rex & Haman ad convivium, quod paravero eis. Genes. c. 18. 3. Et dixit Abraham, Domini mei si nunc inveni gratiam in oculis tuis, ne quæso prætereas a servo tuo. & seqq. & cap. 19. 2. dixit Loth: Ecce nunc domini mei, divertite quæso, in domum servi vestri, atque pernoctate & lavate pedes, &c. & ver. 3. Fecit eis convivium. &c. Genes. c. 24. 31. Et dixit Laban, Ingredere benedicte à Jehova, quare maneres foris, nam ego expedivi domum & locus est pro camelis tuis. Proverb. cap. 9. 5. Venite vescimini cibo meo, & bibite de vino meo, quod miscui. Matth. cap. 22. 4. Dicite vocatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia mactata sunt, & omnia parata: Adeste ad nuptias. Johan. cap. 21. 12. Dicit eis Jesus, venite prandete.* Hodie apud nos variæ formulæ sunt usitatæ, quæ sunt arbitrariæ

Apparatus convivatoris consistit, 1. in procurandis convivio necessariis; uti in alimentis & supellectili necessaria, 2. in delectu tem-

poris & loci convivii.

Alimenta ejusmodi temperari & comparari debent secundum convivarum ætatem, sexum, nationem, cōditionem, valetudinem, palatum, religionem. Deinde, secundum tempus, æstatē, hyemem; vel matutinū, vel vespertinum tempus. *Stuck libr. 2. conviv. antiquit. cap. 12.*

Alimenta ejusmodi sunt esculenta, vel poculenta. *de quibus vide 2. Reg. c. 6. 22. Judic. c. 19. Psalm. 104 Luc c. 12. 29. c. 14. Matth. cap. 6. 31. Prov. c. 15. c. 31. & l 43. l. 44 l. 234 §. 2. de verb. sign tit de alim & cibar legat. l. 3 de pen. legat.*

Esculenta sunt edulia ex nascentibus terræ, aut ex animalibus, aut animalium partibus, vel fructibus; eaque vel humectantia, vel refrigerāria, vel exsiccantia, item nutrientia, alterātia, calefacientia. *de quibus Stuckius d. lib. 2. c. 8.* Obsonia sunt omnia ea, quæ præter panē unà cum pane edimus. *Joh. c. 21. 5.* Hinc, obsonatores, eduliorum coemptores; quæ á coquis assantur, elixantur, vel torrentur. *2. Sam. c. 6. 19. 1. Chron c 16 2. 3.* De delectu ciborum in veteri Testamento *vid. Levit. c. 3 c. 7. c. 11. c. 17. cap. 19.* qui postea sublatus. *Colossens. cap. 2. 16. 17. 1. Timoth. c. 4. 3* Apud veteres panis & sal symbola fœderis & amicitiæ erant, *Stuck. lib. 1. c. 30.* & panis φιλαδελφίας symbolum ab Apostolo dicitur *1. Corinth. c. 10.* Sal veró in omnibus sacrificiis adhibebatur. *Levit. c. 2. Num. c. 18. Vid. 1. Esd. c. 4.*

Supel-

Supellex ad convivium necessaria, sunt vasa escaria, vel potoria. Escaria quibus in cibi & alimenti; Potoria, quibus in potus sumptione vtimur. *de quibus laté Stuck. li. 2. c. 15. & seqq.*

Tempus convivii eligi debet convivatori & convivis adcommodatum. *Proverb. c. 31. 15. Et surgens dum adhuc nox est, dat escam domui sua, & pensum puellis suis. Luc. c. 12. 42. Dixit autem Dominus, quisnam est fidus dispensator ac prudens, quem dominus praficiet famulitio suo ut in tempore det demensum? Ecclesiastic. c. 10. 17. Beata terra cujus rex nobilis est; & cujus principes vescantur in tempore suo ad reficiendum, non ad luxuriam Esa. c. 5. 11. & Psalm. 145. 15. Oculi omnium ad te spectant, quibus tu das escam suam, tempore suo.*

A tempore veró dicebantur convivia alia diurna, alia nocturna, alia matutina, alia meridiana, alia vespertina. Matutina, uti jentaculum, 2. *Reg. c. 1. Act. cap. 10. 2. Reg cap. 3. 35. Johan. c. 21.* Meridiana sunt, merenda & prandium. *Stuck. d. lib. 1. c. 8. & seqq.* Nocturna sunt comessationes, á κωμάζειν, quod est per vicos vagari. Erant & menstrua convivia. *l. cum societas pro socio. & 1 Reg. c. 20 5, 15. Proverb. cap. 7. Psalm. 81 3.*

Locus convivii dicitur Συμποτήριον, ad convivandum aptum; Locus ille sit amœnus, salubris, clarus, purus, mundus, temperatus sive ille sit publicus, sive privatus in ędibus convivatoris, *Luc. c. 14. c. 12. Marc. c. 14. 1. Sam. c. 9. 21. & seqq.*

Exceptio convivarum est, qua convivator convivas invitatos venientes, decorè excipit. cujus requisita sunt; primum, ut curet quo domus convivis advenientibus pateat, vel certè quam celerrime aperiatur, ne illi diu exspectare cogantur, *arg. Luc.12.36. Et similes estote vos iis, qui exspectãt quando dominus suus egressurus sit a nuptiis, ut quum venerit & pulsaverit, statim aperiant ei, 37.45.46. Apocalypsi c.3.* 8. 20. Quod si nocturnum tempus est, constituet lumina, ne quis impingat, & deinde ipse convivator hospitem invitatum in domum ipse introducat, vel per suos curet introduci, exemplo Josephi, *Genes.c.* 43. 24. *Introduxit igitur vir iste homines istos in domum Josephi, &c,* 1. *Sam.c.* 9. 22. *Adsumpsit tamen Samuel Saulem & puerum ejus, quos introduxit in cœnaculum, & vers.* 14. *Veteres Ethnici superstitiosi quô felix esset ingressus & egreßus hospitum, lares & penates suos & aliorum numinum simulachra ponebant in aditu & porticu domus, Alex. ab Alex. lib.* 5. *Genial. dier. c.* 24. *vid. Esa. c.* 57. 12. *ubi Judæi jubebantur verba legis Dei scribere, Deuteron. cap.* 6. 9. *cap.* 11. 20.

Secundum requisitum est in salutatione civili & humana, qua convivator unâ cum uxore, liberis & tota familia, placido vultu & sereno, verbis humanis, manus datione, complexu, vel osculo, prout patriæ vel loci istius mos feret, convivam invitatum excipit.

Tertium est, in manuum ante epulas lotione;

ne; cujus facultatem convivis convivator facere debet, quæ & hodie & olim usitata. *Matt. c. 15. 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum: non enim lavant manus suas, cum edunt panem. Marc. cap. 7. 2. 3. 4. Luc. cap.* 11.

Quartum est, quod honoris caussa conviva pallio exuitur, quod deponitur à convivatore & arma, antequam ad mensam accumbitur. *vid. Stuck. d. lib. 2. c. 34. conviv.* quamvis in aulis, magnæ dignitatis & authoritatis hospitis, vel convivarum honoratissimorum, convivæ palliis suis amicti accumbant, ac non deponant, nisi jusserit superior. Judæi cum palliis suis accumbebant, *Johan. c.* 13. 4. *Surgit à cœna, & deponit pallium, acceptoq; linteo præcinxit se.* 12. *Postquam ergo lavisset pedes eorum & pallium suum recepisset, rursum discubuit.*

Locatio convivarum est, qua convivator locum convivæ tribuit, pro dignitate & merito ejusdem. *Genes. c. 43. 33. Sederunt autem coram eo primogenitus secūdum primogenita sua, & qui minor erat secundū minorem ætatem suam. 1. Sam. c. 9. 22. Adsumpsit tamen Samuel Saulem & puerum ejus: quos introduxit in cœnaculum, deditq; eis locum in summo invitatorū, &c. Luc. c. 14. 9. Et is qui te & illum vocavit, veniens dicat tibi, Da huic locum, &c. 10. Sed cum vocatus fueris, vade discubitum in ultimum locum, ut cum venerit qui te vocavit, dicat tibi, Amice, ascende superius, &c. Marc. c. 6. 39. Tunc impe-*

ravit eis ut facerent discumbere omnes per convivia super viridi gramine. Jacob. c. 2. 3. *Et respexeritis ad eum qui vestem gestat splendidam & dixeritis ei, Tu sede hic pulchré. Pauperi vero dicatis, Tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum, quem locum de conventibus Ecclesiasticis accipiunt alii, Matth. c. 23. 6. Proverb. cap. 25. 6 7. vid. Alex. ab Alexand. lib. 5. cap. 21. Senec. lib. 3. De ira.*

Collocabit autem convivas pro ratione sexus, ætatis, dignitatis, conditionis, aliarumque circumstantiarum, ne collocator in odium offensionemque convivarum incidat, vel inter convivas æmulationem, odia & simultates excitet. Primum itaque in locatione observabit patrium morem & consuetudinem. Deinde ut peregrinis, senioribus, atque magistratibus magis honorifica quam civibus, junioribus & privatis loca adsignet. Quod si multi sint pares dignitate cõvivæ, honorabit & collocabit unum ex illis loco primo, aliũ medio, alium juxta se collocabit, aut alium familiarem suum, aut magistrum aliquem. Reliquis deinde, vel munusculis, vel assiduis, humanis & honorificis salutationibus, compellationibus, colloquiis satisfacere conabitur, ut vult *Plutarchus*. Potest etiam patri, si adest, aut avo, socero; aut alicui cognatorum, ei denique, cui apud convivatorem peculiaris quædam honoris prærogativa est, honestissimum locum tribuere, ut neuter ex illis qui honore & di-

& dignitate æquales sunt, locum illum accipiat. Sed tamen in collocatione, non semper ad gloriam, sed ad jucunditatem respiciendũ, quomodo ipsis inter se cõveniat, ut ex diversorum mixtione opus pulchrum existat, & cuiq; quod deest, adcommodetur; uti moroso, mansuetum; loquaci seni, adolescentẽ audiendi cupidum; iracundo, taciturn; diviti, pauperẽ; glorioso, subsannatorem apponamus.

Convivator deniq; ipse convivis adsidere debet. *Eccles. c. 32.* & locum postremũ sibi postremó deligere; qui ad circumspiciendũ, atq; ad surgendum est adcommodatus.

Sequitur de *gubernatione convivii*, quod secundum est convivatoris officium, quo totum actum cõvivii decenter regit & moderatur, secundum scopum instituti convivii, qđ constat requisitis tribus. Primum est, ut in toto convivio convivator se humanum, hospitum amantem, affabilem, comitatis plenum, cibi & vitæ lautæ mundæq; hominem & ornatum, decorum, familiarem, alacrem & impigrũ præstet & exhibeat, á jocis convivarũ non alienũ, sed ad utraque probé attemperatum. Secundum, ut suorum convivarum habeat curam, ne quid hisce desit, vel impedimentum creet, quo minus scopo convivii convenienter convivari possint. *Eccl. c. 32. 2. Curã eorũ (cõvivarũ) habe, atq; ita sede. 3. Et omne tui copiã facito, cumq; pbaveris te, requiescito ut per illos afficiaris lætitia.* Tertiũ est, ut leges conviviales, νόμυς συμποτικὰς

præſcribat, quæ *magiſteria* à Cicerone vocantur, quæ de modo & demēſo bibendi præſcripto, ſecundum cujusque naturam, vires, ætatem, & propenſionem quam exploratam habere debet, *arg. Pſalm.* 25. Deinde, de ſermonibus, ſpectaculis, aliisq; oblectationibus, utilibus ac honeſtis in convivio procurandis iis quæ ad finem convivii accedunt, ut ſeria jocis temperet, vel jocoſa ſeriis, quib. à nauſea convivæ reficiantur & recreentur voluptatib. non omnino prohibeat, quæ jubet, factu ſint facilia illis, quibus imponit, ſicuti Chriſtus Architriclino ſobrio vini guſtationem mandat, *Joh. c.* 2. Contrà luſus & jocos futiles & inanes prohibebit, neq; turpiter agere convivis permittet, non ſit vinoſus, cōtumelioſus, injucundus & alienus, ſordidus, μικροτράπεζος, neque luxurioſus aut jactabundus.

CAPUT X.

De convivis & miniſtris convivii, eorumq; moribus convivialibus ante alimentorum ſumptionem.

TAntum de conviyatore. Sequitur de conviva, qui à modiperatore ad conviviū vocatur, & dicitur ὁμοφάγος, ὁμόδειπνος, σύνδειπνος, ὁμοτράπεζος.

Convivæ converſatio alia eſt in invitationis actu, alia in ſequentibus occupationibus.

In actu invitationis, verbis geſtibusq; magnam humanitatem præ ſe ferre debet, & ob

tam

tam humanam invitationem gratias agere: sed non temere promittet vel recusabit venire. In recusatione videndum illi, ne inhumanitate, morositate, avaritia, superbia, aut aliis pravis affectibus, quævis etiam amicorum atque familiarium hominum honesta convivia refugiat. Nam invitantium humanitatem, charitatem & benevolentiam negligere & aspernari, indecorum & odiosum est. Cavendum quoque, ne, si à quoquam primo es invitatus & recusaveris, postea alteri promittas; ne prior ille se à te contemptum existimet, atque ita in ipsius offensionem & odium incurras.

In recusatione utendum probabili caussa, qua te excuses, *Luc. c. 14. 18. & seqq.* ne invitator vel contemptu, vel malevolentia aliqua te suæ petitioni deesse suspicetur.

De adventu suo promittere & spem facere temeré non debet, priusquam invitatorum reliquorum convivarum mores exploratos habeat, aut cum his cõversari possit, vel consultũ illi sit. Neque etiam facilé crebró ad quævis hominum improborum cõvivia accedẽdum. *Vide Proverb. c. 23. per tot.* Quod si promisisti te vẽturum, standum promissis, nisi ex justissima & gravissima causa te excuses. *Vid. Luc. c. 14. 18. & seqq. Matth. c. 21.*

Porró conviva qui spem sui aduentus fecit, occupatur in præparatione sui ad convivium & in accessu.

Præparatio ejusmodi est animi, vel corporis.

Animi præparatio est examinatio in vera fidê & charitate. 1. *Corinth. c. 10. Sive igitur editis, sive bibitis, omnia ad gloriam Dei facite.* Corporis præparatio est exercitatio ejusdẽ, vel mundatio, vel vestitus, vel ornatus. Corporis exercitatio utilis dicitur quę consistit in luctatione, cursu, saltu, disci jactu, follis, pilæ palmariæ & similium: quandoque etiam in venatione, equitatione, jaculatione, ambulatione, chorea, modulatione vocis, cantu, frictione, clara lectione, *vid. Stuck. lib. 2. cap 24. conv.* Balnea quoque & unctiones ante epulas apud veteres usitatæ fuerunt. *vid. 2. Sam. cap 11. Exod. cap. 2. & Daniel. cap. 13.* & lotiones *Matth. cap. 15 2. 3. Marc. cap. 7. 2. 3. 4. 2. Reg. cap. 3. 11. Johan. cap. 13. 3. 4. & seqq 1 Timoth cap. 5. Judic. cap. 9. 21. Genes. cap. 43. c. 18. & c. 19. vid. Stuck d. lib. 2. cap. 33.* Hodie non sunt in usu; quamvis minime decorum est, ut conviva sordidatis capillis & unguib⁹ & omnino capite, capillis, manibus, facie vultuque immundo, sordido aut squalido, ad convivia accedat ne ludibrio convivatori & convivis & nauseæ & fastidio sint. Ideoque cavendæ omnes sordes & illuvies in corpore.

Vestitus convivarum decorus, est honestus, mundus, & splendidior quotidiano vestitu. Unde vestes nuptiales. *Matth. cap. 22. 11. Intravit autem rex ut videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. 12. Et ait illi, Quomodo huc intrâsti amice, non habens*

bens vestem nuptialem Judith. *cap.* 12 *15.* qui plerunque tam apud Judæos, quam Græcos & Romanos erat albus. *vid. Stuck. d. lib. 2. c. 26. & 27. & seqq. & sup. c. 10.*

Accessus convivæ ad convivium non sit nimis maturus vel tardus; in quo se consuetudini loci adcommodabit. uterq; enim molestus, Ex maturo nimis accessu τοιχέδειπνοι, ex tardo ζοφοδορπίδες dicuntur. *Plutarch. probl. 7. Sympos.* utrique sibimet ipsis, convivis, convivatori in loco, cibo, variis, ita sedium mutatione, nova vocatione faciẽda, incommoda conciliant. Nam moratores denuo vocare necesse habet paterfamilias. *Luc. capite 14. 22. 23. 24.*

Convivam, vicinum, vel amicum, accedere quem invitatum esse scit, vocare & illo comitatum ad convivium venire, decorum & civile, atque amicitiæ & benevolentiæ significatio est.

Quãdo ad convivatoris domũ perventum est, cavebit ne in illam temere irrumpat, aut januam nimis crebro, proterve, vel violenter pulsando, convivatori ejusque familię molestiam aliquam exhibeat, sed patienter, donec ei domus aperiatur, exspectet. *arg. Luc. cap. 12. 36. 37.* De januæ pulsatione *Apocalypsi c. 3. Matth. c. 7. Act. c. 12. 1. Chron. c. 26.*

Ingressus, vel introductus in domũ convivatoris, patremfam. & familiam ejus humaniter & officiose salutabit *argũ. Matth. c. 10. 12.*

Intrantes autem in domum salutate eam, dicentes, Pax huic domui. 13. Et siquidem domus illa digna, veniet pax vestra super eam. sin autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. aliás in domo aliena tamquam mutus, vel surdus esto. *Vid. Stuck. d. loc. c. 31.*

Porró convivis similes sunt ἐπίκλητοι, vel ἄκλητοι, hoc est, umbræ, vel parasiti. ἐπίκλητοι & σκιαὶ, umbræ, & convivarum comites vocantur, qui non á convivatore, sed convivarum aliquo invitati accedunt. Sed adducenti umbram cavendum, ne multos adducat. Deinde adducendorum delectum habeat, quo adducat qui convivatori noti, familiares & amici, vel certé moribus cum ipso congruentes, ne illi molestiam, aut fastidium pariant. Tertió considerandum quoque umbræ, ad quem adducatur, an honestum sit quoque comitari deducentem. *Vid. Stuck. d. lib. 2. c. 6.*

Parasiti sunt mensarum asseclæ, gnathones, seipsos ingerentes. *Eccles. c. 40. 30. Vir respiciens ad alienam mensam, non habet vitam, quæ reputáda sit vita; inquinat animam suam escis alienis. 31. Vir autem scitus & eruditus, cavet. 32. In ore imprudentis suavis est mendicitas, sed ignis ardet in ventre ejus.* Ejusmodi recte muscis comparantur, quæ bestia impudens, audax, vorax, importuna & molesta est. Græcis eleganter hi vocantur, ἄκλητοι, αὐτόκλητοι, αὐτόματοι, δειπνομανεῖς, ἐπιθυμόδειπνοι, φιλόδειπνοι, δειπνοδιώκται, παράσιτοι, ἀλλοτριοφάγοι, κόλακες, δειπνόλοχοι, κλεπτόφαγοι, βασ-

τιζόα

πιζόλοιχοι, ψωμόδυλοι, γαςειμαργοι. de quibus vocibus & appellationibus *latius Stuckius d.lib.2. c.4. Cœl. Rhodigin. lib. 20. c.33. Stob. serm. 64. & 65. Plutarch. de discrim. adul. & amic.*

Qui necessitatis, paupertatis, vel honestatis causa ad convivia accedunt, ut mendici; *Luc.c. 16.* & canes, *Matth. c.* 15. huc non refero. Canis ad convivium non adducendus.

Observandum etiam hîc, a convivis quandoque symbolam conferri, unde convivia *collatitia, symbolica*, in quibus quilibet convivarum confert portionem ad convivium. qualia usitata inter vicinos in quibusdam locis videmus.

Sequitur de administris, qui conviviali conversationi inserviunt operâ, industriâ & ministerio suo. *Luc. c. 17.7. Quis vestrum habet servum arantem aut pascentem qui regresso ab agro dicat statim, accede & discumbe. 8. Immo nonne dicit ei, para quod cœnem & præcinctus ministra mihi, usquedum edero ac bibero & postea edito tu & bibito. 9. Num gratiam servo illi habet, quia fecit quæ ipsi præcepta fuerant? non puto.* Appellantur ejusmodi administrantes & servi. *Est.c.* 1.7. & *seqq.* 1. *Reg. c.* 1.4. *Luc. c.* 17.8. *c.* 10. 40. *Matth. c.* 22.13. |3.4.5.8. & *c.* 22. 13. 3.4.5. 8. *Joh. c.* 12.3. *c.* 2.5.9. *Luc. c.* 22.27. *Nam uter major est, qui discumbit an qui ministrat? nonne qui discumbit? at ego sum inter vos ut qui ministrat.*

Ejusmodi ministrorum & famulorum convivialium, tam juvenum masculorum quam fœ-

minarum. *Luc. cap.* 12. 37. 38. *Cal. Rhodig. lib.* 25. *cap.* 18. Varia sunt genera & officia, quorum quædam consistunt inpręparatione,quędam in ipso actu convivii. *arg. Luc. cap.* 17. *Para quod cœnem, & ibi. præcinctus ministra mihi; donec edero & bibero.* In præparatione & apparatu consistunt hæc servorum officia & ministeria. Quidam enim ex his, scopis purgant triclinia, mensas spongiis abstergunt, quidam pocula emundant, mensas extendunt, iisque circulum, salinum, orbiculos, quadras, panes, cochlearia imponunt, vel pocula; quidam vinum in cratere miscent, pocula porrigunt; quidam adferunt aquam & ignem accendunt, manibus aquam infundunt ex gutturnio in pollubrum, trullum. *de quibus* 2. *Reg. cap.* 3. 11. *Luc. c.* 7. 37. 38. *Marc. cap.* 7. *Johan. cap.* 13. 4. *& seqq. Cal. Rhodig. lib.* 28. *cap.* 1. Sunt alii qui cibos mensis apponunt, alii κλήτορες vocatores. *Luc. cap.* 14. alii obsonatores, scoparii, lecti-sterniatores, atriarii, sive atrienses, dapiferi & διπνοφόροι, quales sæpè sunt ipsimet convivatores. *Genes. cap.* 18. *Judic. cap.* 6. *vel* ministri, *Marc.* 8. 6. *cap.* 6. 39. 1. *Sam. cap.* 9. 22. *& seqq. Mattha. c.* 14.

In ipso actu convivii famulantur & inserviunt prægustatores & exploratores, ne venenum misceatur, quo dominus & convivæ securé vescantur cibo, quidam pocillatores, vel a poculis. *Genes. capite* 40. *Nehem. capite* 2. *Psalm.*

2. *Psalm.* 102. qui Græcis dicuntur οἰνοχόοι, sive οἰνοχοούμενοι, at οἰνόπται, observatores bibentium. Quidam præterea ciborum divisores, cibos apte & artificiose secantes & distribuentes, qui Latinis dicuntur structores. Habebant etiam veteres ministros reliquias colligentes cadentes e mensa, analectas, item murmur compescentes sordesque pavimenti eiicientes. *Vid. Alexand. ab Alexand. libro 5. Genial. dier. capite 21. Turneb. libro 24. adversf. capite 33.*

Pincernæ officium consistit in poculis eluendis, abluendis & purgandis. Deinde in vino aqua miscendo & temperando in cratere, quem ad summum implebant boni ominis caussa. *Proverbior. capite 9. 5. Venite vescimini cibo meo, & bibite de vino meo quod miscui. Esa. capite quinto, v. 22. Et strenuis ad miscendum potum inebriantem.* Erant & apud veteres ministri voluptatum, qui dictis, factis & gestibus ridiculis convivas exhilarare studebāt, qui Græcis dicuntur γελωτοποιοὶ, *Clemens Alexand. lib. 3. capite 4. Pædag.* Sunt & promi, qui alimentis depromendis, vel recondendis servandisque præsunt, qui & procuratores peni cellarii, promicondi, & Græcis ταμιεῖαι & ταμίαι vocantur. Sunt etiam famuli, qui convivas domum deducunt, comitantur, iis prælucent, qui λυχνοῦχοι, λυχνοφόροι & δαδοῦχοι vocantur. *Matth. cap. 25. 1. 2. & seqq.* de quibus mini-

ſtris mēſarum & conviviorum. *latè Ludov. Cal. Rhodigin. & Clem. Alexand.*

Sed tamen ſæpè unus & idem famulus plura horum munera in convivio obire poteſt & ſolet. Sanè multitudo ſervorū & miniſtrorum menſæ, confuſionis & perturbationis cauſa eſſe ſolet, & plerunq; negligenter fieri ſolēt quę pluribus committuntur, vel á pluribus fiunt.

Præfecti hiſce miniſtris vocantur diſpenſatores. *Luc.c.*12.42. Architriclini. *Johan.c.*2. ſeu tricliniarchæ, *Dan c.*1. *Geneſ.c.*51. Apud Judęos Levitæ inſerviebant ſacris epulis & conviviis.

Habitus & geſtus horum miniſtrorum eſt, ut ſint præcincti. *Luc.c.*17. 8. Stentque ad miniſtrandum omnino prompti & expediti, alacres, induſtrii, laborioſi, obſequentes monitis dominorum & ad illius nutum inſervientes. *Geneſ.c.*18. *Luc.* 17.8.9. *Daniel.cap.*1. 1. *Reg. cap.* 1. *Geneſ. c.* 41. Apud Romanos ſervi ad menſam ſtabant. *Senec.lib.*3. *De benefic. & lib.* 6. *Epiſt.* 46. & 47. & *lib.*15. *epiſt.* 96. *Sueton.in Galb.circa finem*, 1. *Sam.c.* 25.27. Veſtitus horum miniſtrorum eſſe debet elegans & mundus, nitidus, á ſordibus & omni deformitate vacuus. Geſtus eorum liberales, compoſiti ad hilaritatem, comitatem, modeſtiam & benevolentiam erga convivas & dominum.

In miniſteriis menſæ occupati, nullo modo, aut caput, aut quamcumque partem alteram corporis in cōſpectu accumbentium ſca-

bere aut fricare; neque etiam quæcunque ea ſint membra, veſtib. cooperta, manibus contingere, aut geſtuum ſimilitudine ejus rei indicium præ ſe ferre debent.

Cum infundendum, porrigendum, aut apponendum quid fuerit, neminem perfundát, quadras mutent ad ferculorum varietatem; vina varia non commiſceant. Pro emungendis lucernis evigilent, & emuncturi é menſa tollant.

Decet quoque hoſce manus habere lotas & mundas; ne, quod ſpurcitiei alicujus ſignum in iis appareat, & palàm in conſpectu aliorum citra ullam ſuſpicionem manus proferre debent.

Iiſdem, cum aut patinas menſæ imponendas afferunt, aut pocula bibituro porrigunt, eo ipſo tempore ab ejectione ſputi & tuſſiendo, & multó magis a ſternutamento ſibi cavebunt.

Quod ſi aliquando pyrum aſſatum foco exemeris, aut panem toſtum e prunis ſuſtuleris, non debebis in ea cineris tollendi cauſſa inflare. Numquam. n. ventus ſine aqua eſt; ſed potius ad patellam levi brachio cinerem excuties, vel cogitabis num qua ratione alia eximi commodé poſſit.

Linteolum tuum quaſi recéns lotum, alterinon porriges; is cui porrigis, an mundum ſit, ignorat. Ideoq; facile hoc modo offendi poſſet.

Cavebit omnino nequid fastidii aut immunditię suspicionem creet, aut sinistré suspicandi occasionem præbeat.

CAP. XI.

De conversatione & moribus apud sumptionem alimentorum.

HUc usque de primo membro cōvivii, personis nimirū: sequitur nunc de communicatione mensali seu symbolarum mensalium.

Symbola mensalis dicitur, quæ vel á convivatore, vel á convivis decenter & civiliter in cōmune confertur & communicatur convivis.

In hac primó species cōmunicationis considerandæ. Deinde, habitus & gestus communicationis. Species ejus sunt duæ, communicatio alimentorum, vel sermonis. Alimentorum communicatio est eorundem sumptio & participatio, & usus ad corporis & genii refectionem & voluptatem a convivis facta. *Ecclesiastic. cap.* 10. 14. quæ Græcis κοινωνία dicitur. *1. Corinthior. capite* 10. 18. *Actor. capite* 27. 33. *& seqq.* Alimenta sunt esculenta & poculenta, quæ convivator pro convivis præparavit.

Alimentorum communicationē quædam præcedunt, quædam sequuntur.

Præcedūt sumptionem alimentorum 1. appositio eorundem. 2, consecratio. 3, prægustatio. 4, distributio.

Appositio alimētorū, est eorundē in mēsam ad quam

ad quam convivæ sunt locati, impositio, illatio & propositio ad sumendum & utendum. 1. *Corinth. cap. 10. 27. Quod si quis infidelium vos vocat, & vultis ire; quidquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam. & seqq. Act. cap. 27. 33. & seqq. 1. Timoth. cap. 4. 3. 4. Est. cap. 1. 7. 8. Genes. capite 24. 33. 54. Vide solemnitatem ablationis apud Alex. ab Alexand. lib. 5. cap.* 21. Ciborum appositio fieri solet a dapifero; poculétorum vero a pincerna: utroque tamen munere sæpé ipse convivator vel materfam. aut eorundem famuli, vel ancillæ funguntur, uti constat ex exemplis Abrahami, *Genes. c. 18.* Gedeonis, *Judic. c. 6.* Christi discipulorum, *Marc. c. 8. 6. c. 6. 39. Matth. c.* 14.

Esculentorum appositio priori loco & tempore fit & apud quosdam quandoque ex scheda, quæ descripta ordine habet obsonia, quid primum, secundum, postremum coquus fit missurus. Poculentorũ posteriori tempore & loco fit appositio. 1. *Sam. c. 9. 23. 24 Est. c. 1.* 8.

Prout autem alimenta convivii & apparatus exiguus vel magnus est, *convivia* dicuntur & appellantur, ibi moderata, frugalia, cęna Saturnia, Hecatæ, philosophica, Platonica, rustica, Laconica, sordida, Cynica, Timonica: *Stuck. lib. 1. c. 5.* vel contra, splendida, magnifica, luxuriosa, cæna dubia, popularis, ebria, regalis, mensa Persica, conviviũ Sybariticũ. *de quibus vide Esa. c. 25. Amos c. 6. Osea c. 4. Nahũ. c. 1. 3. Esd. c. 3. Est. c. 1. Judic. c. 14. 1. Sam. cap. 25.*

Daniel. c. 5. quæ convivia decent magnos & locupletes. Et sumtuosissima celebravit Cæsar, Nero, Heliogabalus, Caligula, Vitellius, Titus, Geta. *Vid. Alex. ab Alexand. Gen. dier. lib. 5. c. 21.*

Consecratio mensę & alimentorum, est nominis Divini invocatio, pro benedictione illorum. 1. *Sam. c. 9. 13.* Nam non comedet populus usq; dum advenerit, quum ipse benedixerit convivio, postmodum comedent convivæ invitati. 1. *Timoth. c. 4. 3. Cibos quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, &c. 4. Nam quidquid creavit Deus, bonum est; nec quicquam reiiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur. 5. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces. 1. Corinth. c. 10. 30. Et, si ego per gratiam cibum participo, cur ob id amplius judicor pro quo ego gratias ago? 31. Sive igitur bibitis, sive editis, sive quid agitis, omnia in gloriam Dei facite. Psalm. 145. 1. 2. 15. Oculi omniũ in te sperãt, & tu das illis escam suam in tempore suo, &c. Psalm. 104. 11. 12. 13. 14. 15. Matth. c. 14. 19. Acceptis quinque illis panibus ac duobus piscibus, suspiciens in cælum, benedixit, & cum fregisset, dedit discipulis panes, discipuli vero turbæ. Marc. c. 6. 41. Cum suspexisset in cælum, benedixit ac fregit panes. &c. Actor. c. 27. 35. Et cum hæc dixisset & accepisset panem, gratias egit Deo in conspectu omnium; & cum fregisset, cœpit edere.* Apud Ethnicos libationes ante epulas adhibebantur. *de quibus Macrob. Saturn. lib.*

3. 6. 11.

3.c.11. *Stuck. lib. 2. c. 37. conviv. quibus adde Num. c. 28. c. 29. Exod. c. 25. 2. Reg. c. 23.*

Prægustatio, est qua alimenta mensæ imposita, explorantur, ne quid veneni sit mistum, quod sumptum, convivis nocere possit, quæ fit ideo, quo convivæ securé alimentis vesci possint.

Hæc est duplex. Una, ciborum; altera, potus; illâ, cibi a dapifero; hac, potus a pincerna exploratur.

Prægustator, pincerna ex cyatho hauriebat & in sinistram manum effundebat & exsorbebat. Hodie in scyphū argenteum aliumve vel operculum poculi infundit & infusum prægustare & delibare solet, & postea phialam extremis manibus tenet, & convivis tradit & porrigit. *Genes. cap. 40. 13. 14. 21. Nehem. cap. 2. 1. 2. & Cyriped. lib. 1. Stuckius lib. 2. antiquit. convivial. cap. 21.*

Distributio alimentorum est, qua illa inter convivas in mensa distribuuntur & dividuntur & porriguntur. Estque vel esculentorum, vel poculentorum.

Distributio ciborum est, qua cibi & esculenta mensæ imposita in partes secantur & singulis dissecta ad edendum porriguntur.

Ergo hujus distributionis sunt duæ partes: una, dissectio; altera, porrectio.

Dissectio est esculentorum appositorum decora incisio. Itaque scire oportet distributorem aptam & commodam incidendi obse-

nia rationem,quæ partes internæ, quæ externę cujusq; cibi,quæq; partes magis,vel minus lautæ & delicatæ,quo honoratiorib.& dignioribus semper partes meliores & præstantiores ꝓponat, *de qua re Sen.lib.6. epist.*47. Alius pretiosas aves scindit per pect⁹ & clunes,certis ductibus circumferēs eruditam manū, frusta excutit. Infelix qui huic uni rei vivit,ut altilia decenter secet,nisi quod miserior est,nisi qui voluptatis causa docet, quā qui necessitatis discit. *Senec. De vit.brevit.adde Juvenal.Satyr.5.*

Instructorem interea, ne qua indignatio desit,
Spectantem spectas, & cheironomonta volāti
Cultello, donec peragat dictata magistri,
Omnia;nec minimo sane discrimine refert
Quo gestu lepores,& quo gallina secetur.

Ne igitur in sectione hac á structore & divisore solœcismus & indecorum cōmittatur, solet in culina & abaco præparatio fieri.

Apud Judæos hæc esculentorū & epulorum divisio *fractio* dicebatur. *Esa.c.58.7, Matt. c 14. 19. Marc. cap.6. 41. Act.cap. 27.35.36. Luc. c.9.16.* Et fiebat per convivatorem, ut patet ex d.locis & exēplo Davidis *2. Sam. c.6.19. & partitus est universa multitudini Israël tam viro quam mulieri,singulis collyridam panis unam, & assaturam bubula carnis unā & similam frixam oleo,&c.1.Chronic.c.16.3.1. Sam.c.1.45 cap. 9. 23 24.Nehem.c 8.12 13. Est.c.9.23. Genes.cap. 43.34. vid.Plutarch.li.2 problem.Cal.Rhodigin. lib. 28. c.1.* Hodie ejusmodi dissectio cōmitti solet

ſolet á cõvivatore, vel ab aliquo cõvivarũ honoratiori in mẽſa, & digniori, vel peritiori in ea arte, & quãdoq; juvenib⁹, quãdoq; etiã puellis.

Porrectio eſt, qua inſtructor id quod diſſectum eſt convivis porrigit cultro, vel quadra. Atque hic præſtantioribus, dignioribus & honoratioribus, qui primo loco ſunt locati primó proponit & porrigit meliores & præſtantiores partes. *vid. Plutarch. lib. 7. problem. 4. 1. Sam. c. 9. 23. Tũ dixit Samuel coquo, cedo partem illam, quam dederam tibi, de qua dixeram tibi, repone eam apud te. 24. Cumq; deprompſiſſet coquus armum quendam & quæ hærebant ei, appoſuit Samuel ante Saulẽ, dicens, Ecce quod reliquum factum fuerat, ponens ante te, comede. nam in hoc tempus reſervatum tibi fuit, &c.* Quãdoque tamen pars præſtantior, charioribus proponitur. 1. *Samuel. c. 1. 5. Channa veró daret partem unam duplam, eo quod Channam diligeret, & Jehova occluſiſſet vulvam ejus. Geneſ. cap. 43. 34.* Deinde ordine ſequentib. particulas ſectas præbet & porrigit. Eſt etiam in quibuſdam locis conſuetudo, ut abſentibus ex cõvivio partes mittantur, ut teſtatur Sueton. in Caligula, quod valde probat *Johan. Wilhel. Stuckius lib. 3. c. 3. conviv. antiq. & cujus exemplũ extat Geneſ. c. 43. 34. Et accipiẽs fercula de eo qđ erat appoſitũ in cõſpectu ſuo Joſeph, mittebat ad eos, majusq; fuit ferculũ Bẽjaminis, quã fercula ſingulorũ illorum quintuplo. ubi Jun. & ad hoc ipsũ allegat Athen. li. 1. Dipnoſop. quib. adde Nehem. c. 8. 12. 13. Stuck. lib. 3. c. 3. conv. antiquit.*

Poculentorum distributio est, qua singulis convivis post cibi appositionem & distributionem pocula porriguntur á primo & honoratiore facto initio usq; ad ultimum, ipsum convivatorem. Pocula majora, & præstãtiora præstantioribus & dignioribus offeruntur & porrigũtur. *Vid. Alex. ab Alex. lib. 5. c. 21. Gen. dier.*

Sequitur de alimentorum participatione & sumptione: quæ duplex. Prior vel ulterior. Illa, *prior:* hæc, *posterior mensa* vocatur. *Vid. Alex. ab Alex. lib. 5. Gen. dier. c. 21. Stuck. d. li. 3. c. 1. convivial. antiq.*

Prior est, qua prima fercula mensę imposita, comeduntur & sumuntur. Hęc rursum dividitur in antecœnã, seu anteprandium; vel ipsam cœnam & prandium. *Stuck. d. lib. 3. c. 1.*

Anticœna ejusmodi dicitur principium & procœmium convivii, seu prandium. Germanis ein vor essen / convivium primum, quo stomachus, vel ventriculus latrans, primo liquidioribus & concoctu faciliorib. cibis, potuq; placatur, & ad alios cibos & alimenta capienda, quasi præparatur.

Cœna, vel ipsum prandium est, quo cibi & potus solidiores capiuntur. Germanis dicitur, ein mittell essen/ convivium intermedium.

Secunda mensa est, qua cibi suaves & delicati statim post priorem mensam remotam appositi, uti bellaria mellita, βαγήματα, πέμματα, ad famem sitimq; extinctã quasi rursus accendendam & irritandam, sumũtur. Germani vocant

cant ein nacht/ oder Nachessen: *Clemens Alexād. lib. 2. c. 1. Pædag.* Quocirca, ait, ii cibi cavēdi sunt qui non esurientes nos cogunt comedere, appetitiones nostras veluti quibusdam pręstigiis fallere. Quales fuerint mensæ primæ & secūdæ apud Romanos, tradit *Alex. ab. Alex. lib. 5. Genial. dier. c.* 21. & de veterum frugalitate *Seneca lib. 1. de tranq. & lib. de paupert. lib. 3. epist. 20. & 25. & lib. 22. epist. 123. & 124. & lib. 13. epist. 87. & Stuck. d. loco.* Sumptuosissima fuerunt convivia Julii Cæsaris, Neronis, Heliogabali, Caligulæ, Vitellii, Titi, Getę. *Vide Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 1.*

Statim apponi debent post priorem mensam remotam: quia intervallum ferculorum si est longum, odiosum & damnosum est ventriculo, inquo cocta crudis miscentur, unde κακοχυμία. Has mensas sublatas omnino cupit *Stuckius d. lib. 3. c. 2. & Clem. Alex. d. c.* 1. quāvis numerus ordinariorum ferculorum, hodie apud nobiles & divites ex prava cōsuetudine excreverit. De ordineveró ferculorum apponendorum, & olim & hodie variæ variorum extant cōsuetudines. *Vid. Turneb. in Adverſ. suis, Lipſ. lib. 3. Antiq. lection.* Sed medici in hac re consulendi. Veteres solebant tibicine præcedentē nova fercula apponere, & convivæ manus lavare per singula fercula. Germanis mos est, ut singulis ferculis benedictio addatur, das gesegne Gott.

De alimentorum communicatione hucus-

que: ſequitur de ſermonis communione in cō-vivio: qui ſermo eſt colloquium, vel Muſica. De colloquio *Eccleſiaſticus c. 31. in fin. & c. 32.* quod Græcis dicitur ἐπιτραπέζια, ἐξηγήσεις, συμποτικὰ, συμποσιακὰ, δειπνολογία, unde δειπνολόγοι, ſeu λογόδειπνοι, κυλικηγόροι.

Ejusmodi colloquiū convivale, condimentum & anima convivii dicitur, ſine quo illud κωφὸν καὶ ἄφωνον dicitur. Nam nō tam cibi & potus, quam ſermonis communione amicitia benevolētiaq; conciliatur & conſervatur. *Plutarch. lib. 4. συμποσ.* alimentis corpus, colloquiis animus paſcitur. illa, corporis; hæc, animi pabulum.

In colloquio conviviali duo inprimis convivæ conſideranda: Materia ſermonis, & ejusdem moderatio.

Materia colloquii talis eſſe debet, quę benevolentiæ & charitati nō refragatur. Solet veró p̄cipué eſſe talis, quales ſunt cōvivæ. *Vid. Gell. lib. 13. c. 11.* qui inter epulandū ſermones jucundos, invitabiles, ſuaves & cū quadā illecebra & voluptate utiles, ex quib. ingeniū noſtrū venuſti⁹ fiat & amœnius. Quod eveniet ſi de illis loquamur, de quibus in foro atq; in negotiis agendis loqui non eſt otium. *Vid. Macrob. lib. 7. Satur. c. 1. & Stuck. lib. 3. c. 17.* Extat etiam ſympoſ. Platonis, Xenophōtis, Luciani, Plutarchi, Athenei, Georgii Pictoris, Franciſci Philelphi, Manlii & aliorum.

Solet autem materia ejusmodi eſſe duplex: una, jocoſa; altera, ſeria. Joco-

Jocosa materia sermonis & colloquii cõvivialis imprimis cõvenit; quales sũt quæstiones jocosæ, joculares, ludicræ, sed argutæ & scrupulosæ, gryphi & ænigmata: de quib. extat exẽplum *Judic. c.* 14 facetiæ, sales, cavillationes, dicteria, parabolæ. *Vid. Stuck. lib. 3. c. 17. convivi antiqui. Joh. Heidfeldii Sphingem.*

Seria materia sermonis potest esse sacra, vel ꝓfana. Sacra, est Theologica, de qua exempla *vid. Luc. c. 14. c. 11. c. 7. c. 22. Matt. c. 26. & passim alibi.* Profana est philosophica, politica, ethica, œconomica, physica, juridica, historica, Theologica, eaq; lecta, vel enarrata. Sit ne inter pocula philosophandum, differit *Plutarchus lib. 1. sympos. problem. 1. Macrob. lib. 7. cap. 1. Gell. lib. 6. c. 13. Stuck. late lib. 3. c. 18. & 19.*

In materia hac convivialis sermonis conviva sit φιλόφρων non ὑπέρφρων, humanus, non nimis alté sapiens, σπουδαῖος, non tamen φιλόσπουδος & ὑπέρσπουδος, honestus & probus, non nimium rebus seriis gaudens. Sit quoque ἐξομολογητικός, aptus & ingenuus in dicendo, non πεπλασμένος, σχηματοποιούμενος εἴρων, fictus, personatus, simulator, dissimulator, ἵλεως non δυσοείγητος, non ἐπισκυθρωπάζων, φιλόγελως, nec tamen γελοιαστὴς & καγχαστὴς ad risum pronus, nec tamen futili immoderataque lætitia gestiens. φιλοπαίγμων & τωθαστής, hoc est, cavillator facetus, nec tamen scurrili dicacitate laborans. *ut refert Stuckius d. loco.*

Moderatio sermonis inter duo extrema versatur. unum est excessus garrulitas, & loquacitas effusa & effrænis; quæ Græcis est *ἀδολεσχία, φλυαρία, de qua sup. li. 1. dixi:* futilis, inanis & importuna, quod in buccā venerit, effutiendi licentia; quæ ebrietatis index, sicuti & λογομαχία, αἰσχρολογία, μωρολογία, λήρησις, πάροινον. *& Cato:*

Inter convivas fac sis sermone modestus:
Ne dicare loquax, dum vis urbanus haberi.

Alterum est defectus, taciturnitas, silentium pertinax & perpetuum. *Gell. lib. 13. c. 11. Vid. sup. c. 5.* Ob hanc causam convivium Plutarchus dixit simile Alphabeto, in quo sunt vocales, semivocales, mutæ & consonantes. Vocales sunt senes, prudentes & usuperiti. Semivocales, sunt juvenes & fœminæ; *Eccles. c. 26. 11. 17. 32. 1. Timoth. c. 2. 11. Mulier cum silentio discito cum omni submissione. 12. Mulieri. n. docere nō permitto, neq; authoritatem usurpare in maritū; sed mādo ut sit in silentio.* Mutæ sunt ministri & famuli mensæ. *Vid. Eccles. c. 32. 9. 10. & seqq. Vid. Clem. Alex. lib. 2. Pad. c. 7. Eccles. c. 32. c. 7. Stuck. lib. 3. c. 17. conv. antiq.*

In sermone hoc & colloquio omnino scommata vitari debent. Tectam enim continent injuriam, inprimis quando risus præsentium sequitur. *Eccles. c. 31. 35. In convivio vinoso, ne redarguas propinquum, neque facias eum nihili in lætitia ejus. 39. Sermonem probrosum ne dixeris ei neque angas eum obversantem tibi. Proverb. cap. 14. 3. & dixi sup.* Hæc enim contraria sunt fini convivii, qui est benevolentia. Inde-

Indecorum quoq; valde est indicare, quod magnam voluptatem ex edulio vel vino capias. *Eccles. c. 31. 12. Ad mensam magnificam assidens, ne aperias fauces tuas in ea. 13. Neque dicas, multa certe sunt imposita ei. 14. Memento, malā rem esse oculum nequam. Proverb. c. 23. 3. Ne afficiaris desiderio cupediarum ejus: est enim cibus mendax. 6. Ne vescitor cibo maligni oculo, neq; afficitor desiderio cupediarum ejus. & seqq.*

Incivile quoq; est eos qui mensæ adsident, ad bibendum comedendumve invitare & urgere instanter. Efficitur enim his invitationibus ut invitatus postea in convivio minus sit liber & pudore suffundatur, cum se quodā modo observari arbitretur. Leviter & humaniter invitare, *Stuckius* putat esse decorum. *lib. 3. c. 4.* Incivile quoque est inter comedendum loqui. *Clem. Alex. lib. 2. c. 1. Pædag.* ubi ait, quod inde fiat vox indecora, non satis expressa & significans, ut quæ plenis maxillis in angustum coerceatur; & lingua quæ nutrimento premitur, a naturali operatione præpedita expressam nō edit prolationem. Maximé vero indecorum, suum cuique dolorem refricare in convivio.

Musica, vel vocalis, vel instrumentalis in convivio adhiberi potest, nisi impediat tēpus, locus, vel finis convivii. *Eccles. c. 32. 5. Sed cum accurata scientia agitur, musicos etiam modulos impedi. 6. Ubi est concētus, ne effundas eloquium; neque intempestive agas sapientem. 7. Sigillum carbunculi impositū ornamento aureo, est concen-*

tus musicorum in vinoso convivio.8. *Sigillum smaragdi in aureo instrumento est musicorum melos ad vinũ suave.* & *pbat Stuckius ex Marc. c.*14.*Ephes.c.*5.18.19.*Esa.c.*24.8.*Amos c.* 6. *Luc. c.*15. 26.*Deus enim in conviviis hilaritatem præcipit,Deut.c.*16. *Nehem. c.* 18. ad quam efficiendam Musica conducit.*Vid. Clem. Alexand. lib.* 2. *Pæd. c.* 4.

CAPUT XII.

De habitu & gestu sumendi alimenti decoro, vel contrà.

TAntum de cõmunicationis speciebus. Sequitur de utriusq; habitu & gestu.

Habitus itaq; & gestus cõmunicationis cõsistit & spectatur in modo & forma vescendi, bibendi & sermonis habendi.

Modus edendi & bibẽdi positus est in tẽperãtia, qua neq; in excessu, neq; in defectu peccamus, sed tantũ edim⁹ & bibimus, quantũ natura postulat, nõ quantum cupiditas expetit. *Vid. Alex. ab Alex. li.* 5.*c.*21. *Gen. dier. Hũc observans modũ, vocatur Græcis* αὐταρκής, ὀλιγοδεής, ὀλιγόσιτος, νήφων, μετριοπότης, μετριόσιτος, hoc est, tenui atque frugali victu potuq; cõtentus, non ἄπληστος, πάροινος, ἔξοινος, μεθύων, κραιπαλῶν, id est, insatiabilis, vinosus, ebriosus, crapulæ deditus, cũ ὀψοφαγία, λαιμαργία, γαστριμαργία. *Vid. Lud. Cal. Rhod. lib.* 30. *c.* 36. *Gell. lib.* 13. *cap.* 11. *Plutarch. de tuend. val. Clem. Alex. lib.* 2. *Pæd. c.* 1. *c.* 2. *c.* 3. *c.* 4. *lib.* 3. *c.* 7. *Stuck. lib.* 2. *c.* 1. *conviv. antiquit.*

Par.

Parce igitur &sobriè edendũ & bibendũ est eo modo, quo robur corporis & pietas animæ vegetior atq; alacrior fiat, nõ autẽ obtorpescat & obruatur. *Rom. c. 13. in fin. 1. Thess. c. 5. 6. 7. 8. 1. Timoth. c. 5. Vino modico utere, &c. Luc. cap. 21. 3. 4. Cavete autem vobis, ne quando graventur corda vestra crapulâ & ebrietate & curis hujus vitæ: & repentè superveniat vobis dies ille. Prov. c. 23. 29. Cui væ? cui eheu? cui contentiones? cui loquacitas? cui vulnera impunè? cui rubor oculorũ est? 30. Immorantibus apud vinum, euntibus ad investigandum vinum mistũ. 31. Ne respicito vinum quũ rubescit, quũ exhibet in poculo colorem suum, indesinenter movetur rectissimè 32. Tãdem velut serpens mordebit, & ut hæmorrhous pũget, & seqq. Ecclesiastis capite 10. 13. Hei tibi regio, cujus rex est puer, & cujus Principes manè comedunt. 14. O te beatam regionem, cujus rex natus est clarissimis, & cujus principes suo tempore comedunt, ad robur, non autem ad cõpotationem. Philip. c. 3. 19. quorum Deus est venter. Esa. c. 5. 11. Væ surgentibus summo mane, ut potum inebriantem sectentur, prorogãtibus ad crepusculum usq; ut vinum incendat ipsos. & ver. 22. Væ valentib. potare vinũ, & strenuis ad miscendũ potũ inebriantem, cap. 28. 1. 2. Ecclesiastic. cap. 37. 32. Ne esto insaturabilis omnibus deliciis, neque projectus esto ad escas. 33. Nam multis cibis adhæret morb⁹, & insatiabilis voracitas pximè accedit cholerã. 34. Voracitate insatiabili multi sunt mortui; sed qui attendit sibi, vitam propagaturus est.*

& c. 3. 19. neque esto insatiabilis, ne forte offendas. & vers. seqq. 21. Quã sufficit homini erudito res modica? nam in cubili suo non anhelat. Somnus sanus est, cũ intestino mediocri: surgit mane compos anima sua. 22. Laboriosa vigilia & cholera torminaque adsunt viro insatiabili. 28. In vino ne agas virum. nam vinum multos perdidit. & c. 30. Tãquam vita est vinum hominibus, si moderate illud biberis. 31. Quae nam vita est homini qui destituitur vino? hoc enim creatum est ad lætitiam hominib. 32. Exsultationem cordis lætitiamque animi efficit vinum potum tempestive, quod satis est. & vers. seqq. Ephes. c. 5. Ne inebriamini vino, in quo est ἀσωτία. Amos c. 6. Qui bibunt vinum percolatum & super lectum sedent eburneũ. Proverb. c. 25. 16. Mel inveniens, comedis quod satis est tibi. ne saturatus illo evomas illud, & cap. 31. 4. 5. 6. 7. Proverb. c. 23. 1. 2. 3. & seqq. cap. 20. Roman. cap. 13. 14. Carnis curam ne habete ad explendas cupiditates. 1. Corinth. c. 9. 27 Contundo corpus meum & in servitutẽ redigo. Senec. l. b. 22. epist. 124. Ad mensam adferat bene moratum ventrem & contumelia patientem. & lib. 1. De tranquil. vit. Cibus, inquit, famem domet & potio sitim. & lib. 3. Epist. 21. in fin. Venter præcepta nõ audit, poscit, appellat. Non est tamen molestus creditor: parvo dimittitur, si modo das illi quod debes, non quod potes. Itaque ut idem Senec. lib. De pauper. loquitur, parvo fames & sitis constat, magno vero fastidium.

Modus bibẽdi honestus, est vel medicus vel libera-

liberalis; necessitatis, inquam, & sanitatis; vel voluptatis & liberalitatis. *Lud. Cal. Rhodign. lib. 15 c. 16.* tres crateras miscendos ait; quorum primus, est sanitatis; secundus, voluptatis; tertius, somni: quartus & reliqui inciviles. *Est. c. 1. 7. Et potum prebebant ministri in vasis aureis & vasis inter se variis, vinumq; regiũ plurimum pro facultate regis.* 8. *Potum autem ex jure nemo exigebat. sic enim constituerat Rex unicuiq; magistro domus suæ, ut facerent pro volũtate cujusq;. Prov. c. 13. 25. Justus comedit ad satietatem animæ suæ, venter autem improborum eget.* Modesti & verecundi hominis est in cibo & potu quod minũs est, eligere, idque tardius, & non proclivius. *Clemens Alexand. lib. 2. Padag. cap 7. per Ecclesiastic. cap.* 31. *Isocrates ad Demonic. Fuge quantum potes compotationes; sed si quando in has per tempus incideris, fac discedas ante ebrietatem. Ubi enim vinum corruperit mentem, evenit quod curribus spoliatis magistro. Et quod est in corde sobrii, id est in lingua ebrii.*

Forma convivandi, seu comedendi & bibẽdi, consistit in gestibus & actionib. decentibus assumendis & utendis, vel indecoris omittẽdis.

Gestus & habitus decori sunt, qui hilares, humani, urbani, civiles & moderati sunt.

Debet ergo conviva, nisi scopus convivii & tempus & locus prohibeat, esse hilaris, non tristis, tetricus gestu & habitu ἐπιεικὼς ὡραῖων. *Eccles. cap. 9. 9. Agedum, comede cum lætitia cibum tuum, & bibe animo hilari vinum tuum,*

quandocunque benevole prosequitur Deus facta tua. & seqq. Act. c. 2. 46. Et quotidie perdurantes concorditer ac frangentes domi panẽ, capiebant cibũ cum exultatione ac simplicitate cordis. 47. Laudantes Deũ, habentes gratiã apud totum populũ. Genes. c. 43. 34. sic convivati sunt & affatim biberũt cũ eo. Deu. c. 12. 7. *Ut comedatis ibi corã Jehova Deo vestro, & latemini, vos & familia vestra, comedẽtes ex omnire ad quã ad moveritis manum, qua benedixerit tibi Jehova Deus tuus.*

Deinde cõviva gestu & habitu suo ad societatẽ propensus & proclivis esse debet, ut *Stuck. lib. 2. c. 1. conv. antiqui.* refert ex Polluce: cui talis conviva dicitur συμποτικὸς, εὔμικτος, εὐεπίμικτος, ἀξιοκαινώνητος, κοινωνικὸς, συνουσιαστὴς, cui opponitur ἄμικτος.

Tertió debet esse ἀστεῖος, εὐαρμονικὸς, urbanus, apertis & decoris gestibus præditus: cui opponitur ἄγροικος, βαρύς, φορτικὸς, ἐπαχθὴς, id est, agrestis, grauis, durus, odiosus, importunus.

Quartó debet esse civilis, moderatus, mansuetus, non ἀλαζὼν, ὑπεροπτικὸς, κομπαστὴς, κομπώδης, superbus, arrogans, suspiciosus, jactator.

Forma bibendi in conviviis usitata est ꝓpinatio, quæ Græcis dicitur φιλοτησία, seu amica invitatio. *de qua apud Habacuc. c. 2. 15. 16. Est. c. 1. 7. 8. Job. c. 21. 7.*

Propinatio apud Hebræos fiebat ita: paterf. dextera manu poculum tenẽs, prę missis certis quibusdã precib. propinationẽ auspicabatur, præ-

præ bibens;quem reliqui cõvivæ ex ordine sequebãtur. Greci &Romani á dextera ꝓpinãdo & præbibẽdo incipiebãt,& in orbẽ pergebant & cõtinuabant. *Vid.Stuck.lib.3.c.11.12.& seq.d.loc.*quę methodus ꝓpinandi, hodie in quibusdã locis observatur. In quibusdã veró sine ordine ex arbitrio cõvivarũ præbibentiũ ꝓpinatio peragitur, modó in orbẽ,modó in trãsversũ. Quę in orbẽ fit,dicitur circularis ꝓpinatio, circumpotatio, κυκλοποσία.

Propinatio á symposiarcha incepta,solet in quibusdam locis á minorib. ad majora pocula procedere.De poculorum quãtitate,de more ad certam mensuram poculorũ, atq; numerum propinandi, *vid.Stuck.d.lib.3.c.12.*

In edendo labra continenda cúm cibus mãdetur,neq; hiare sinenda. Buccellas, nõ nimis amplas,aut densas, hianti ore capiat: integros bolos,magno gutturis hiatu deglutire indecorum. Neq; obsonii multum est ingerendum, sed cum pane sumendum.

Quod ante aliquem appositũ in orbiculo, retinendũ,nisi plus sit, quam sine crimine voracitatis absumptũ esse videri possit.tum.n.resectâ particulâ,reliquũ confixum cultello, reponendũ ante illum, qui apposuit, aut proximum,aut in patinam referendum.

Indecori gestus conviviales omittẽdi sunt, qui sensibus interioribus, vel exterioribus hominis contrarii, &, per consequẽs illiciti & indecẽtes conspiciuntur in ipso actu convivandi,vel in incidentib.in convivio.

In ipso edendi bibendive actu indecentes sunt gestus & habitus sequentes.

Cum quadam vorandi ingluvie ita avide cibos ingerere, ut ex eo singultus, vel aliud quippiam visu & auditu indecorum audiatur. Sicuti faciunt ii, qui inter epulandum ita properant, ut flatu & anhelitu suo, omnibus qui adsunt, molesti sint. *Proverb. cap. 23. 18. Intellige res propinqui & de omni verbo cogita. Comede, ut homo, quæ apposita sunt tibi. neque devora, ne odio habearis. 19. Cessa primum, eruditionis gratia. neque esto insatiabilis, ne forte offendas. & Eccles. cap. 21. 18. 19. Et cap. 37. 32. Ne esto insatiabilis omnibus deliciis, neque projectus ad escas, vid. Clement. Alexand. lib. 2. c. 1. Pædag. c. 7.*

Inter manducandum quassatione oris & labiorũ, velut poppysmate, vel inflatis buccis, sonitu quodam novo aures assidẽtium offendere, indecorum. *vid. Prov. d. c. 23.* 18. Lingua quasi repurgare dentes, ac palatum interius, & buccas lambere, fœdum; & fœdius, exterius labra; turpius, quando ex ore inter edendũ, vel bibendum quid excidit vel effluit.

Instar porcorum, toto quasi rostro sine intermissione juri immersum esse, ut ne semel quidem faciem attollas, aut oculos, atq; adeo multo minus manus a cibis appositis quoquã dimoveas, valde incivile. *Clem. Alex. d. c.* 1.

Brachiis in mẽsam procumbere non decet; aut ambas buccas ita cibo implere, ut malæ intumescant.

Item,

Item, manus pené ad cubitum usque commaculare, & mantilia eum in modum cõspurcare, ut panni illi laceri & sordibus abstergendis destinati, nonnunquam his mundiores esse deprehendantur.

Similiter ob festinationem & studium vorandi immodico sudore in facie, vel fronte, vel collo diffluere.

Digitos inungere, barbã polluere, ut inde mantile vel thorax contaminetur, & videnti nausea moveatur, indecorum.

Poculum vini, é quo alius, vel tu ipse biiturus es, aut cibum, qui alteri apponitur comedendus, vel quem ipsemet esurus es, odorandi gratia ad nasum movere.

Simul edere & bibere, vel ore plenó bibere aut loqui, valde indecorum. *Clem. Alex. lib, 2. c, 1. Pædagog.*

In mãdendo, labiorum diductu, more porcorum sonitum edere & instar equi, vaccæ, vel canis edere, deglutire, vel sorbere, vel bibere cum lachrimis & exclusione spiritus, indecorum, fædius quando cum susurro pot⁹ magno impetu fertur & plurimo spiritu & hiatu attrahitur, perinde ac si in vas fictile infundatur & gutture sonet ob rapidam ingurgitationem. *Vid. Clement. Alex. lib, 2. Pæd. c. 2.*

Vultu instabili, huc illuc inter bibendum, alios intortis oculis intueri, cervicem in tergum rejicere, mentum conspergere, incivile, *Clem. Alex. d. lib. 2. Pædag. c. 2.*

Calidiuſculas offulas, vel juſcula, vehementer & violenter afflare plenis buccis, tanquam e follibus, indecorū. Pollice, vel alio digito, vel linguâ ova elixa excavare non decet.

In patinam appoſitam in medium manum primò inter convivas alios præſtantiores extendere. *Eccleſ.c.31.20. Quod ſi inter plures conſederis, ne primus eorum extendas manum tuam: neq; immitte manum in omnes patinæ plagas. Eccleſ.c.31.16.17. neq; eandem patinam circumage, ut lautiora ad te perveniant.*

Non decet quoque digitos ore prælingere vel ſalino illos intingere, vel ad tunicam extergere, vel geſticulari manibus, digitis, cultello pedibusve.

In patinas pręmorſum inſęrerę incivile, vel pręmorſum iterū in jus immergere: turpe vero cibū māſum e faucibus eximere, & in quadram reponere.

In incidentib. in ipſo convivio & actu edendi & bibendi geſtus & habitus indeçori & inciviles, ſunt ſequentes.

Nimirum inter accumbendum partem aliquam corporis ſcabere.

Tempore menſæ ſeu convivii exſpuere, vel emūgere naſum, vel excreare. *Clem. Alex. lib. 2.c.7. Pædag.* Nō.n. ſicuti aſinis & bobus ſimul eſt præſæpiū & ſterquiliniū. Quod ſi neceſſitas hęc facere urgeat, faciendū id cū quodā decēti modo, facie averſa ab epulis & poculis & hominibus.

Ru-

Ructus edere, sternutare, oscitare, aures fricare, crepitũ vẽtris emittere, turpe. *Clem. Alex. li. 2. c. 7. Stuck. lib. 3. antiq. conviv. c. 19.*

Dentes mappâ, vel linteolo, digitis, vel cultello fricare, indecorum.

In præsentia aliorum os eluere, aut vinum, quò id feceris, exspuere.

Vitrum, vel poculum, quo tu biberis, alteri, ut bibat porrigere; nisi forte plusquã domestica familiaritate tibi sit ille notus, vel cõsuetudo illud requirat. Similiter indecorũ, mensam vel quadrã, aut orbiculũ subinde fodere. in poculo apparere supernatãtẽ pinguedinẽ aut sagimen.

Ex patina alteri aliquid porrigere incivile habetur: nisi forte is qui porrigit, prę altero multo majoris sit dignitatis, ita ut is qui accipit, eâdem operâ honore afficiatur, ut exemplis *Josephi. Genes. c. 43. 34.* Samuelis. *1. Sam. c. 9. 23. 24. ubi Jun. & cap. 1. 45. Ruth. c. 2. 14.* cõstat. Nam si inter æquales hoc fiat, videtur is qui porrigit alteri, quodam modo se præponere, aliquando etiam id quod porrigitur, alterius palato non convenit, præsertim quod ille judicet convivium non satis liberaliter esse instructum, aut certe patellas ordine præpostero collocatás, cum alter abundet, alter egeat. Fieri quoq; posset ut convivator id in malam partẽ acciperet. Nihilominꝰ tamen & hîc, qđ vulgo fieri videmꝰ, faciẽdum est potius, quam id qđ bene fieri existimatur. Verũ quicquid in hoc deceat, vel nõ, tu tamẽ id qđ tibi porrigitur, nõ recusabis; sed sũes quadra, vel trib. digitis vel cultro: vt

deris aliás eum qui porrigit, vel aſpernari vel reprehendere.

Fœdum eſt extimulare cultello, ſi quid forte inter dentes hæſerit.

Panem decorticare, vel excavare aliis, edétulo excepto, indecorum eſt.

Similiter cogitabundum accumbere & ſtupere, nec non oculis circumactis obſervare, quid quilibet comedat vel tranſverſim hirquis intueri, qui eodem accumbunt latere, aut retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera menſa. Recté tamen & decoré poteſt, pater filios; domin⁹ ſervos; magiſtratus ſubditos; doctor auditores & diſcipulos in eadem vel altera menſa accũbentes obſervare. Præſertim, ſi clamores, turbas, rixas aliosve indecoros geſtus ob cauſam ſuſpicetur.

Canes inter comedendum tractare, vel paſcere, incivile.

Panem, pyrũ, aut quemvis alium fructum, dentibus ſuis arroſum, vel alia ſemeſa, alteri dare, vel porrigere.

Iiſdem mantilibus, quibus in menſa uteris, ſudorem abſtergere, aut naſum emungere, non decet.

Nulli propinare in convivio, eſt illiberale & incivile, ἀκοινώνητον, ἀνελεύθερον.

Majoribus, vel pluribus iteratis poculis ꝓpinare, & invitos compotando moleſtare & certare, & in eo ſuum robur oſtendere, turpe eſt. *Eccleſ. c 31.28. In vino ne agas virum. Eſa. c. 5.22.*

ſ.22. Vae valentib. potare vinum & ſtrenuis ad miſcendum potum inebriantem. Quartus, cyathus non eſt noſter, ſed *contumeliae.* Quintus, *vociferationis.* Sextus, *laſciviae.* Septimus, *ſuggillationum.* Octauus, *clamantis.* Nonus, *bilis.* Decimus, *inſaniae, ut dicit Lud. Cal. Rhodigin. lib. 15. cap. 16.*

Quod ſi ab alio inviteris ad bibendum, non omnino repugnato, ſed gratias agito, & dicito te libenter illi victoriam concedere, aut etiam ſine hauſtu liberaliore, vel largiori, leviter qđ datum eſt, deguſtato.

Vinum vel eſcam effundere, vel perdere, & menſam vel cænaculum commaculare, indecorum. Ejusmodi inciviles dicuntur κοτταβίζοντες, vel, ἀπτάβοι, á cottabis veterum, atque hinc cottabiſmus, vomitio, Kotzen. *Vid. Lud. Cal. Rhodigin. lib. 28. c. 5.*

Menſis ſublatis, dentiſcalpiũ ori inſertum, inſtar aviculæ nidum conſtruentis circumferre, aut id ipſum ſupra aurem tonſorum more reponere, indecorum exiſtimatur.

Geſticulationibus ludisque hiſtrionicis uti in compotando & præbibendo incivile eſt, vilicet ἀμυστὶ καὶ ἀπνευστὶ πίνειν, drincken ohn ſchnauben vnd bart wüſchen/ quæ geſticulationes ex imperio convivatoris vel cõvivarum arbitrio, pœnis & præmiis indictis preſcribi ſolent. *Vid. Turneb. lib. 7 c. 9. adverſ. Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 2. Plin. lib. 14. c. 22. Plutarch. lib. 1. Sympoſ. problem. 4. & Stuckium d. loco.*

CAP. XIII.
De clausula convivii ejusque speciebus.

EX positis iis, quæ convivium antecedunt & sunt in ipso cõvivii actu: sequitur de iis, quibus convivium clauditur & finitur.

Ejusmodi sunt: 1, Surrectio. 2, ablutio manuum. 3, propinatio τῆς φιλοτησίας ergô. 4, precatio. 5, valedictio & gratiarum actio. 6. deductio domum.

Surrectio convivæ matura, decora & civilis est. *Ecclesiastic. cap. 31. 14. Tempestive surge, ac ne aciem extremam agito; excurre domum, ac ne desideto*, unde convivia εὔκαιρα & ἄκαιρα. Unde Clemens *Alexand. lib. 2. Pædag. c. 7. dicit, Ante multos surgere, aque convivio excedere, esse hominis valde modesti.*

Consurgendi autem initium faciant ii, qui cęteris ętate, dignitate & authoritate pręstant, quiq; minima convivatori necessitudine sunt juncti, sed non nisi cũ cõvivatoris venia. Quod si quia te necessitas urgeat, ut nondum finitis epulis surgere & discedere cogaris, caussam probabilẽ tui discessus afferes, veniamq; submisse a cõvivatore & cõvivis petes. Putat *Guil. Stuck.* morẽ esse optimũ ut omnes simul consurgant, quãvis junioribus decorum sit ut in tẽpore ante seniores surgãt, iisq; administrent ad mẽsam.

Convivator ultimó surget & convivas prius surgentes ad diutius manendũ epulandumq; huma-

humanissimis verbis & precibus invitabit. importune vero neminē invitū detinebit, præsertim senes, mulieres gravidas vel minus bene, corpore vel animo affectos, aut quibus necessaria negotia sunt peragenda.

Manuū ablutio in quibusdam locis post surrectionem á mensa, in quibusdam adhuc sedentib. ad mensam, peragitur

Propinatio post lotionem à convivatore fit, & poculum ὑγιείας & φιλοτησίας, sanitatis & benevolentiæ, convivis porrigitur.

Precatio peragitur precibus conceptis & recitatis, vel cantiuncula. *Deut. c.* 8. 10. *Cū cōederis & satiatus fueris, benedices quoque Jehovâ Deo tuo in illa terra optima quam dederit tibi.* 11. *cave tibi ne obliviscaris Jehovæ Dei tui. Matth. c.* 26, 26, 27. 28, 1. *Timoth. c.* 4. 3. 4. 1. *Corinth. capite* 10. 30. 31. *Ecclesiastic. capite* 32. 16. *atque his fruens benedic ei qui fecit te & qui inebriat te bonis suis.*

Valedictio & gratiarum actio primum fit à conviva pro beneficiis & officiis præstitis quæ verbis extollit & referendę gratię animū & voluntatē ꝓpensā defert cōvivatori & pollicetur.

Huic convivator gratias agendo respondet, quod ad epulas suas venire non sint gravati, eosque rogat ut tenuitatem æqui boniq; consulant; non voluntatē, sed facultatē illos liberalius pro illorum dignitate atq; meritis tractandi, defuisse indicat.

Deinde antequam discedatur, varię & mul-

tiplices salutationes, valedictionesq; honorifice & amicæ inter convivatorem & convivas fieri solent, idq; partim verbis, partim gestib⁹, manuum datione mutua, osculo, vel complexu. Atq; tum apud quosdam munera ἀποφόρητα convivis, & σύμβολα collectæ, comessalia convivatori dari in quibusdam locis solent.

Deductio domum fieri debet, vel curari, á convivatore per λυχνοφόρον, lucernę gestorem, si nox est. *Eccles.c.*32.14.2.*Sam.c.*6.19.20.1.*Sam.c.*9.25.26.27.*c.*10.1.2.9.10.*Matth.c.*25.

Reliquiæ convivii, quæ λείψανα dicunt, colligendæ ab analectis, *Matth.c.*14. *Marc.c.*8.2. *Reg.c.*4 *Levit cap.*8. *Plutarch.lib.*7. *Sympos.problem.*4. & mensa tollenda eadem modo, quo parata. Itaq; orbes colliguntur primó, deinde salsamenta, caseus & reliqua, & ultimo uná cũ pane removetur & mappa.

Atq; tantum de membris convivii; sequitur de ejusdem speciebus.

Sunt igitur, *ut Stuckius lib.*1.*cap.*16. *& seqq. conviv. antiq.* refert, alia convivia natalitia, alia puerperalia, repotia, alia ablactationis. *Gen.c.*21.1.*Sam.c.*1. alia quæ in numerum, vel ordinem religiosorum vel alium susceptione, sive initiatione celebrantur. *de quib. Exo.c.*29. *Levit.c.*6.*c.*8. *Macrob lib.*3. *Saturnal. c.*13. Conviviũ inaugurale Papæ Romani describit *Stuck. d. lib.*1.*c.*18. & in initiatione monachorum & monialium, & regum: *de quibus* 1. *Sam.c.*9.1. *Chron.c.*12.2.*Sam.c.*6.1.*Chronic.c.*16.1.*Reg.c.*1.

Est.

Digitized by Google

Est.c.1. Huc etiam convivia inauguralia Imperatorum, Doctorum, Magistrorum, Rectorum, Consulum: Item, convivia fœderalia, *Genes.c.26.2.Sam.c.3.20.Genes.c.31.c.21*, in quibus panis & sal, fœderis symbola apud veteres.

Sunt etiam convivia militaria, victorialia, triumphalia, de quibus *Stuck.d.lib.1.c.21.* ubi etiam de donativis & congiariis. De victu militari Iudæorum, *vid. 1.Sam.c.17.2.Reg.c.17. Levit.c.23.Ruth.c.2.* de epulis victorialibus, *Iudic.c.16.1.Reg.c.18.& 2.Chronic.c.20.Iudith c.15.*

Sunt alia artificum, opificum, rusticorum, in tonsura ovium, *1.Sam.c.25.2.Sam.c.13.* quorum varia genera apud rusticos germanos recenset *Stuck.lib.1.c.23.* Et alia usitata in muneris depositione, alia in peregrinatione, loci domiciliive mutatione, *2.Reg.c.19. Stuck.d.lib.1.c.29.*

Rursum alia convivia erant nuptialia, *Genes.c.24.Tob.c.10.Iohan.c.2.* alia funeralia, feralia, exequialia, sepulchralia. *2.Sam.c.3.33.35. Eccles.c.30.Tob.c.1.Baruch.c.6.27.Ezech.c.24.* quæ etiam Græcis & Romanis usitata fuere; *Liv.lib.9 decad.4.*

Alia convivia porró sunt popularium, advenarum, hospitum, peregrinorum, conducta emptave, vel gratis exhibita peregrinis, humanitatis, benignitatis & benevolentiæ testificandæ caussa, quæ Græcis φιλοξένια: quorum exempla extant *Genes.c.18.c.19.c.24.Hebr.c.13.*

*Judic.c.6.Jos.c.2.2.Reg.c.4.Exod c.*18.1. *Sam.c.* 9.22 *Luc.c.*10.*Joh.c.*11.1.*Pet.c.*4.1.*Timoth.c.4.* *Tit.c.*1. Ejusmodi hospites molliter collocandi, ad cibum potumq; invitandi, defendendi ab iniuria, non inviti retinendi, sed dimittendi, deducendi, *Gell. lib. 5.c.*13. *Vid. latius Stuck. d.lib.*1.*c.*27.28. de mercenaria peregrinos excipiendi ratione, de stabulis & diuersoriis mercenariis.

Erant & alia sacra convivia apud Iudæos, epulum Paschalis, *Exod.c.12.* Pētecostes, *Num. c.28.Deut. c.*16. de festo tabernaculorum, *Levit.c.23.* De convivio Calendarum, seu Novilunii.1.*Sam.c.20.5.15.Proverb.c.7.Psalm.* 81.3. Imó in plerisque Iudæorum sacrificiis anniuersariis convivia totius populi erant. *Deut.c. 14.v.23.& 26.c.16.*11.*Levit.c.7.v.5.6.* Exempla extant *1. Sam.c.*1.*c.16.c.*9.1.*Reg.c.* 8.*1. Chronic. c.16.Nehem.c.8.* de Christi convivio, *Matth. c.26.Marc.c.*14.

Apud Christianos usitatæ quandoque fuerunt Agapæ; quæ charitatis symbolum & tesseræ, in quibus divites & pauperes promiscué discumbebant & absentibus mittebātur portiones: & ditiores conferebant vinum, panes, pecuniam, &c. de quibus mentio fit *Act. c. 2. c.4.2.Pet.c.2.Tertullian.in sua Apolog. c.*39. & quorum abusus taxatur 1.*Corinth.c.10.add.Ecclesiastic.c.9.10.* Apud Ethnicos quoque convivia sacra celebrata fuere, Bacchanalia, Saturnalia & plura alia, *de quib. latè Stuckius.*

Erant

Erant & quædam privata convivia amicorum familiarium, quæ per vices agitabantur, quorum exempla extant in *Job. c.1.* & in charistia Romanorum. *Val. Maxim. lib. 2. c.1.* Mutua eiusmodi convivia agitare est mutitare, vt *ait Gellius lib. 2. c. 24.* Sunt & hodie in quibusdam locis usitata convivia sodalitia, & collegiatæ coïtiones & syssitia. *Stuck. d. lib. 1. c. 31.* & quædam publica convivia in prytaneo.

Pro epilogo huius materiæ subiungam *ex Joh. Guil. Stuckio lib. 1. c. 3.* duo extrema vitia conviviorum, convivarum & convivatorum. Unum, quo in defectu peccatur, quod est, prorsus abhorrere à consuetudine conviviorum, dum alios ad epularum nostrarum communionem non invitamus, neque invitati ad aliorum convivia accedimus: (quales sunt μονοφάγοι) nisi ex iusta caussa illud fiat, qualis fuit monophagia *Iohannis Baptistæ & Jeremiæ c. 16.* Deinde, quando quis alios quidem invitat, iisque epulas suas impertit, at aliorum epulas & convivia aspernatur, quod insolentiæ, superbiæ & morositati adscribendum. Tertió, quando quis invitatus libenter quidem ad aliorum convivia accedit, at ille neminem invitat; quod vitium est ingratitudinis & impudentiæ, ex quo dicitur ἀλλοτριοφάγος. Quartó, quando quis invitatos nimis tenuiter & sordide tractat, semifamelicos, vel sitientes dimittit, qui μικροδάπτοι dicuntur.

Alterum vitium extremum est in excessu,

comeſſabilitas ſcilicet, qua inordinata, immoderata & effrena conviviorum cupiditate deteſtamur, non ex honeſtatis charitatisque erga proximum ſtudio, ſed ex ambitione, ſuperbia, inſatiabili quadam & inexplebili voluptatum cupiditate. Cognoſcitur id vitium ex nimia conviviorum cupiditate, crebritate & frequentia, item in eorum effuſo ſumptuoſoque apparatu, ferculorum luxurioſo ſplendore, varietate & nimia turba, in temporis ἀκαιρίᾳ, in dictorum & factorum obſcœnitate. Horum finis eſt, non gloria Dei, non mutui amoris, benevolentię, charitatisve conſervatio; ſed voluptatis amor, libido, ſuperbia, avaritia, ambitio. Hac crebró luxurioſeque convivandi conſuetudine qui flagrant, eleganter à Græcis dicuntur φιλόδειπνοι, τριχέδειπνοι, ἐπιθυμόδειπνοι, δειπνομανεῖς, ἀλλοβοιφάγοι.

Ex his ſequitur malum eſſe finem conviviorum, vanam illam & inanem magnificentiæ, potentiæ, opulentiæ, oſtentationem. *Vid. Eſt. c. 1.* Deinde, ventrem tanquam Deum ſibi proponere, ut hic ſaginetur & diſtendatur immodico cibo potuque. Quidam etiam avaritiæ ſuæ tegendæ cauſſa, conviviorum ſplendore vtuntur. Quidam maiorum commodorum conſequendorum cauſſa lautis & opiparis conviviis alios ineſcare ſtudent. Quidam, quo ſcelerum impunitatem conſequantur, iudicum aliorumque ora offis illis obie-

ctis obturare cogitant & mentes eorum excæcare. Quidam gratiam suis conviviis aucupare student, & viam atque aditum ad honores vel munera sibi muniunt. Denique conviviis sæpe homines ad aliorum exitium interitumque abutuntur, dum invitatos vi aperta vel clam veneno impié & nefarié vita privant, quæ sunt convivia Thyestea, Agamemnonia atque Cyclopica. *Vid. Ierem. cap.* 4. 2. 2. *Reg. c.* 25. 1. *Reg. cap.* 13. 1. *Macchab. c.* 13. *Est. cap.* 6. *Judith. c.* 12. 13.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EMENDANDA.

P*Agina* 14. *linea* 19. *lege*, quem qui. P. 15. *lin. ult.* præmittere. *17. lin. 26.* cap. de fama. *18, lin. 18.* pertinent. *20, 12.* in re. *27, 25.* in damna, qui. *28, 12.* passuin. *32, 24.* manum. *38, 15.* 2. Sam. *50, 5.* imprudentiam. *53, 28.* demonstrat. *60, 10.* de responsione. *62, 28.* adversum, *66, 6.* versabantur. *67, 5. Iudæi.* *75, 1.* corripit. *82, 16.* cogitur. *85, lin. ult.* considerandæ. *103, 16.* malé. *19.* figuræ. *104, 9.* decorum. *107, 21.* supplicante. *111, 8.* Levita. *142, 23.* pronunciationem. *118, 15.* literam. *123, 3.* puniri. *5.* remuneratione. *127, 27.* loquentem. *163, 30. adde,* ut dicit. *181, 17.* accingentibus. *187, 17.* inspergentis. *190, 9.* Sidoni. *221, 2.* officium ergo. *225, 6.* præfertur. *230, 6.* excitetur. *230, 15.* earundem. *251, 25.* gaudeant & honestentur. *253, 17.* coronas. *277, 3.* *1. Sam.* *281, 10.* actiones, *22.* illius, *283, 17.* exigat, requirar. *293,* 8. habendus. *295, 14.* superiores. *16.* excitabunt. *267, 25.* in obsequiis. *311, 8.* debet. *312, 11.* insidiantur. *320, 7.* cuiusque. *321, 8.* principales. *334, 24.* fit. *335, 11.* ut in loco. *339, 26.* in nonnullis exemplar. lege ταμιεῖον. *352, 7.* in nonnullis exemplar. lege, πάροινον. *366, 15.* éque. *367, 23.* animum. *368, 15.* eodem.

ROMA

Digitized by Google

344

Digitized by Google

315

Digitized by Google

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Val Sassina, 57
Tel. [illegible] 223
5?1
Digitized by Google